ALPHONSI PISANI, SOCIETATIS IESV, DE CONTINENTIA ET ABSTINENTIA:

Vel, de Apoſtolico cœlibatu, ieiunio, & ciborum delectu, doctrina catholica.

I. CORINTH. VII.

Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt: ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore eſt ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MATTH. IX.

Venient autem dies cùm auferetur ab eis ſponſus & tunc ieiunabunt.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni,
ANNO CIↃ. IↃ. LXXIX.
Cum gratia & priuilegio Cæſareæ Maieſtatis.

AD LECTOREM ORTHODOXVM

Præfatio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*QVanuis paſſim ſacræ literæ conti-
nētiam & caſtitatē commendēt,
Orthodoxe Lector: Tamen ita
quidam ſecundum carnem ambu
lant & propria deſideria; vt præ-
clari ſibi Euangelici eſſe videātur, quū Eunuchos,
quos Chriſtus in Euāgelio laudauit, irriſerint: &* Matth. 19.
*egregios Pauli ſe imitatores credant, cùm ſuis do
ctrinis, aut ſuaſionibus mulierculas captiuas du-
xerint, & oneratas peccatis eô pertraxerint, vt,
contra Pauli, imò & DEI præceptum, primam* 1.Tim.5.
*fidem, qua ſe DEO per votum caſtitatis obſtrin-
xerant irritam faciant. Sic ferè olim veteres Hæ
retici adiunctam ſibi aliquam Dalilā habuerunt:
Vt Simon magus ſuam Helenam. Montanus Pri-* Hæreticorum cum mulierib⁹ cōmertiū.
*ſcillam & Maximillam. Appelles Philumenem.
Marcionis hæreſis ex nefario cuiuſdam mulierculæ amore ortum habuit. Gnoſticorum turpitudines fusè deſcribit Epiphanius. Poſtremò (ne ſingula perſequar) Arriani, tempore Lucij Pſeudo-* Theodoretus lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 20. interprete Chriſtophorſono.
*epiſcopi Alexandrini, ſuper altare Chriſti, nudum
Aethiopem collocarunt, qui libidinem omnem po-
pulo prædicaret. Hieronymus cōmentario in cap.
7. & 9. Oſeæ Prophetæ:* Difficile eſt, *ait*, hære-

ticum reperire,qui diligat caſtitatem. Nó quòd eam præferre deſiſtat in labijs, ſed quòd non ſeruet in conſcientia, aliud dicens & aliud faciens. Iſtiuſmodi nó poſſunt dicere: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum,&c. ſed volutantur in ſordibus libidinum, vacant ſtupris,& quicquid loquuntur, & putauerint ſe in laudem DEI dicere, vlulatus luporum, & vaccarum inſanientium ſonitus eſt. *Hæc Hieronymus.*

Apoſtoli prædixerunt Hæreticorũ incontinentiam.

Prædixerant id ſancti Apoſtoli, vt Petrus 2. Epiſtola, cap. 3. Venient in nouiſsimis diebus in deceptione, illuſores, iuxta proprias có cupiſcentias ambulantes. *Et cap. 2.* Qui poſt carnem in concupiſcétia immunditiæ ambulant, dominationemq; contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere, libertatem illis promittétes, cùm ipſi ſerui ſint corruptionis. *Et Paulus:* Nemo vos ſeducat inanibus verbis. Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autẽ redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere. *Et Thadæus:* Subintroierunt quidam homines impij, Domini noſtri gratiam transferentes in luxuriam. *Et hæc quidem ſectarij faciunt.*

Epheſ. 5.

Epiſt. Iudæ

Studiũ caſtitatis in

Contrà verò ſancti Patres, præter ſanctiſsima exem-

exempla vitæ ſuæ, integros libros de Virginitate, de Cælibatu, de Continentia, ſcripſerunt, vbique munditiem, vbique puritatem ſonantes. Non abs re igitur, vt ſpero, hoc quantulumcunque eſt laboris aggreſsi ſumus, vt quoad eius fieri poterit, homines voluptarijs iſtis doctrinis faſcinatos, in viam Chriſti virginis & ex virgine nati reuocemus. ſanctis Patribus

In quo argumento ea nobis methodus accommodata viſa eſt; ſi primùm quidem Virginitatem & Cælibatum ſemper in Eccleſia, & in Synagoga, iam inde ab ipſis mundi primordijs in precio fuiſſe oſtenderemus; deinde quæ quouis ſeculo aduersùs doctrinam Catholicam, de Cœlibatu ab aduerſarijs obijci ſoleant, examinaremus. Ad quæ reliqua omnia rediguntur, quæ in hac controuerſia diſputari conſueuerunt: Vt quid ſit iuris diuini, quid Apoſtolici: quæ differentia Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ; item de irrito ſacrorum hominum, etiam Subdiaconorum matrimonio, & alia id genus huc pertinentia. Speramus, Catholice Lector, hanc noſtram operam, tibi non inutilem futuram. Eos autem, qui ſegregant ſemetipſos, nihil moramur. Si enim Eccleſiam & ſanctos Patres, Scripturam ſacram, vt ab Apoſtolis acceperunt, explicantes non audiunt, nec, ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. Methodus huius tractatus. Luc. 16.

Adiecimus huic tractationi de Continentia, propter argumenti affinitatem, doctrinam de Ab-

 ſtinen-

ſtinentia, ſiue de Ieiunio, & ciborum delectu, ante aliquot annos à nobis, dum Ingolſtadij doceremus, editam. Tu, Chriſtiane Lector, ne ſine fructu hæc legas, contine & abſtine; aut iuxta prouerbium: Suſtine & abſtine, ac benè vale. Poſnaniæ, Calendis Iulij. Anno Domini. cIↃ.IↃ. LXXIIX.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Quòd Cælibatus & Cõtinentia ſemper in precio fuerit in lege Naturæ, Moſaica, & Euangelica.

VT à Priſcis Patriarchis ſermo noſter, iuxta ordinem temporũ, ſumat initiũ, id primum, quaſi totius Tractatus fundamentum, ad imitationem D. Hieronymi contra Iouinianum, pro Continẽtiæ prærogatiua diſputãtis proponimus: In Eccleſia DEI ſemper Caſtitatem operi nuptiarum prælatam eſſe, & Cælibatum coniugio, digniorem eſſe habitum; pręſertim in perſonis ſacris ac DEO dicatis. Quod ipſum D. Auguſtinus libr. de Cap. 8.
ſancta Virginitate cõfirmat his verbis: *Nulla carnis fæcunditas ſanctæ virginitati etiam carnis, comparari poteſt.*
Et: *Neq; illarum fæcunditas carnis, quæ* Cap. 9.
hoc tempore nihil aliud in coniugio, quàm

prolem requirunt, quam mancipent Chriſto, pro amiſſa virginitate compenſari poſſe credenda eſt.

Incontinētia cauſa diluuij.

Hinc eſt quòd, vt primi parentes, neglecta abſtinentia & ciborum delectu, Originali peccato totum genus humanum infecerunt: ita eorũ poſteri, neglecta continētiâ & vxorum delectu, cauſam dederunt diluuio. Videntes ſiquidem filij DEI filias hominum, quòd eſsēt pulchræ; acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant. Quod & Dominus ſignificauit dicens: *Sicut autem in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vſq; ad eum diem, quo intrauit Noë in archam, & non cognouerunt donec venit diluuium & tulit omnes; ita erit & aduentus filij hominis.*

Geneſ. 6.

Matth. 24.

Continentia Noë.

Gen. 6.

Quoniam verò incontinētia diluuium inuexerat; Omnis quippe caro corruperat viã ſuam; delectus eſt ex tota hominum vniuerſitate, continentiſſimus Patriarcha Noë, qui

qui mundum repararet; quod præclarè Chryſoſtomus explicat, dum eius temperantiam admirabundus prædicat hac oratione: *Non abſq; cauſa diuina ſcriptura, & tempus & numerum nobis aſsignauit filiorum iuſti, ſed & hic nobis latenter inſinuare vult, excellentem multiplicemque eius virtutem. Nam poſtquam ſuperiùs dixit, quod Noë erat quingẽtorum annorum, tunc ſubdidit: Et genuit tres filios: docendo nos ſummam cõtinentiæ illius magnitudinem tunc fuiſſe, quum tantæ intemperantiæ deditiſuiſſẽt omnes homines.* Et infrà: *Vt igitur diſcamus, quo pacto his omnibus tantam inſaniam ac rabiem præ ſe ferentibus, iuſtus ille manſerit ſolus, continentiæ virtutem cum alijs ſtrenuè ſeruans, donec ad quingenteſimum annum peruenit, tunc inquit: Et genuit Noë tres filios. Vidiſti, dilecte, excellentẽ iuſti temperantiam? ne hoc perfunctoriè tranſeamus: ſed & tempus illud expendamus, & malitiam, quæ ſupra omne hominum genus ob eorum deſidiam ſe extenderat. Conſideremus quantæ ſit virtutis, in tantam temporis longitudinem,*

concupiſcentiæ rabiem refrenare, viamq́; longè ab alijs diuerſam ingredi, & non ſolùm ab illicito coitu ſe cohibere, ſed & à legitimo & inculpato. Et paulò pòſt: *Mihi videtur diuina diſpenſatione factum, quòd iuſtus iſte, etiamnum à coitu abſtineat, & pueros iſtos habet. Quia enim ob malitiæ magnitudinem & excellentem prauitatem generali diluuio totum orbem deleturus erat, miſericors DEVS, quaſi radicem aliquam & fermentum voluit iuſtũ iſtum ſupereſſe: vt abolitis iſtis, origo quædam eſſet futurorum. Huius gratia cùm iam quingẽtorum eſſet annorum, haberetque filios iſtos tres, iſtis contentus fuit, declarans hoc factum, vt diuinæ in humanũ genus miſericordiæ ſeruiret.* Hucuſque Chryſoſtomus. Illud etiã continentiã huius Patriarchæ manifeſtè declarat, quòd poſt diluuium, tametſi Gen. 8. & 9. coniugatus, & in tanta humani generis internecione, non ſtatim liberis operam dedit, ſed ſemel atq; iterum à DEO monitus, tertiũ adhuc DEI verbum ad ſobolem generandam exhortantis expectauit. Tantus

tus fuit vir ſanctus cõtinentiæ amator & cultor. Niſi quis malit eas admonitiones ad Noë filios pertinere.

Non libet hîc cõmemorare cum Hieronymo & alijs Patribus, primos parentes, ante commiſſum peccatum, virgines in paradiſo extitiſſe: poſt peccatum autem & extra paradiſum officium coniugale conſecutum eſſe. Omittam quod Strabus retulit, Adamum poſt Abelis obitũ vouiſſe caſtitatem, quanuis præcepto DEI obtemperans poſtea genuerit. Preteribo quod Author libri de Mirabilibus Sacræ ſcripturæ, ſiue is Auguſtinus, ſiue alius fuerit diligẽter obſeruauit: Abelem primum iuſtum ab ipſo Domino prædicatum virginem, Sacerdotem & Martyrẽ fuiſſe. Non afferam prætereà, quod Beroſus ſcripſit, vxorẽ Noë Virgines Veſtales inſtituiſſe. Hæc, inquã, & ſimilia libenter omittam, quæ ſat ſcio, apud quoſdã, nec omninò abs re, nõ multum ponderis ad id, quod

1. contra Iouini.

Caſtitas Adami, Abelis, & Melchiſedech.

per-

perſuadere inſtituimus habere vide
buntur. Melchiſedechum tamē, cu-
ius ſacerdotium in nouo teſtamen-
to impletum eſt, ſilentio præterire
non debeo. Vt enim eum Moſes &
Paulus ſine patre & matre, & ſine
Epiſtola ad Phila-delphien. genealogia deſcripſerunt, ſic etiam
Ignatius ſine vxore & ſine liberis e-
undem vixiſſe teſtatus eſt, & eum in
exemplum caſtitatis proponens, vir
ginum veteris teſtamenti Cathalo-
go inſeruit. Nec mirum tamen hoc
de ſanctis Patriarchis, quos ſcriptu-
ra commendat: quum omnis popu-
Vbi ſuprà. lus (vt etiam Hieronymus annota-
uit) acceſſimus ad montem Synai,
& DEI auditurus eloquium, tribus
Exod. 19. diebus ſanctificari iuſſus ſit, & ſe ab
vxoribus abſtinere.

Leuit. 12. 15. & 22. In lege Moſaica omnis ſeminis
fluxus, etiam ex morbo proueniēs,
& omnis fœminæ vſus etiam mari-
talis, immundum reddebat homi-
nem; ita vt opus haberet purificati-
1. Reg. 21. one. Dauidi Regi & ſocijs eius famē
duram patientibus, panes propoſi-
tionis

tionis non fuiſſent conceſſi, niſi mũdi fuiſſent à mulieribus. Iudith 15. *Ioachim ſummus Põtifex Hieroſolymis, venit Bethuliam cum vniuerſis presbyteris ſuis, vt videret Iudith, quæ cùm exiſſet ad illum, benedixerunt eam omnes vna voce dicentes: Tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eò quòd caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum alterum neſcieris. Ideò & manus Domini confortauit te, & ideò eris benedicta in æternum, & dixit omnis populus: Fiat, fiat.* Sed & celeberrimi Iudæorum ſcriptores Ioſephus & Philo Eſſeos eius temporis religioſos, ex eo inter alia commendant, quòd continentiam ex voto in vtroq; ſexu obſeruarent. Conſonat 2. Machab. cap. 14. vbi quidam ex ſenioribus, nomine Razias, laudatur, quòd multis temporibus continentiæ propoſitum tenuerit in Iudaiſmo. Nam quod Liranus Iudicũ 11. retulit traditionẽ eſſe Iudęorum, filiam Iephte, quam ex voto pater erat

Caſtitas Iudith.

Continentia Eſſeorum & Raziæ ſenioris.

erat immolaturus, auctoritate Phinææ pontificis per votum perpetuæ caſtitatis, DEO fuiſſe conſecratam, non videtur ſatis probabile, neq; ſatis ſcripturæ conſentaneum. Et hæc quidem obiter ex veteri teſtamento relata ſint.

Chriſtus Dominus & virgo Deipara in nouo teſtamento virginitatis dedicauêre principia.

In nouo autem Chriſtus Dominus & beatiſſima eius Mater (vt verbis vtar Hieronymi) virginitatis vtriuſq; ſexus dedicauêre principia. Apoſtoli vel virgines, vel poſt nuptias continentes. Taceo de præcurſore Domini, Anna prophetiſſa, & Simeone iuſto, quem Auguſtinus inter continentes recenſuit; fortaſſis enim eos quiſpiam ad vetus teſtamentum referendos putauerit. Xiſtus ſecundus, libro, de Caſtitate: *Poſtquam cœpit Ieſus docere*, inquit, *omnes eius diſcipuli, aut côtinentes fuiſſe inueniuntur, aut virgines.*

Epiſt. 54. aliàs 50. ad Pamachium.

Caſtitas Ioan. Baptiſtæ, Annæ Prophetiſſæ, & Simeonis iuſti.

Serm. 20. de tẽporę.

Canon. 27.

Vnde & Canon Apoſtolorum ſic habet: *In nuptijs autem, qui ad Clerum prouecti ſunt, præcipimus, vt ſi voluerint, vxores accipiant, ſed Lectores Cantoresq;*

reſq; tantummodò. Et Clemens, epiſtola 2. ad fratrẽ Domini: inter alia pręcepta & illud à ſancto Petro ſe fatetur accepiſſe: *Ad dominica myſteria tales eligantur, qui ante ordinationem ſuã, coniuges ſuas non nouerunt*; vel, vt legit Marianus Scotus, *Coniuges ſuas reliquerunt. Quòd ſi poſt ordinationem miniſtro altaris contigerit proprium inuadere cubile vxoris, ſacrarij non intret limina, nec ſacrificij portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus oblationem holocauſti ſuſcipiat, nec ad dominici corporis portationem accedat, nec aquam Sacerdotibus porrigat ad manus: Oſtia forinſecus claudat, minora gerat officia vrceum ſiue calicem ad altare non ſufferat*. Eadem verba repetit Lucius primus apud Gratianum, Diſtinct. 81. ca. Miniſtri altaris.

Quòd autem Apoſtolicus Canon, maioribus ordinibus initiatos vxores ducere prohibet, id quo modo ſit intelligendũ, explicat Caliſtus huius nominis primus martyr, & ſummus Pontifex, Apoſtolis proximus, qui

Coniugiũ ſacrorũ hominũ in Eccleſia primitiua irritum poſt votũ ſolenne & ſacros Ordines.

qui apud Gratianū, diſtinct. 27. Cap. *Presbyteris*, ita loquitur: *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconibus, et Monachis Cōcubinas habere ſeu matrimonia contrahere penitus interdicimus, contractaq́ matrimonia ab huiuſmodi perſonis diſiungi, & perſonas ad pœnitentiam redigi debere, iuxta ſacrorum Canonum* (Apoſtolicos videtur innuere) *definitionem iudicamus.*

Quòd enim Monachos inter Sacros homines Caliſtus recenſuit, Apoſtolos etiā ſecutus eſt: Teſte enim Areopagita, ca. 6. Eccleſiaſticæ Hierarc. initiādorū omniū excellentior & ſublimior ordo Monachorum eſt Sancta diſtinctio. *Vnde ſancti*, inquit, *Præceptores noſtri* (Apoſtolos intelligit) *diuinis eos appellationibus ſunt proſecuti, partim Therapeutas, id eſt, cultores, à ſyncero DEI famulatu atq; cultu, partim Monachos, ab indiuidua & ſingulari vita appellantes.* Idem vſus & perpetua conſuetudo Eccleſiæ teſtatur, quum à temporibus Apoſtolorum, vſq; ad nouiſſimum hoc noſtrum

Monachi tempore Apoſtolorum.

ſecu-

ſeculum nullam narrationem aut hiſtoriam proferre liceat, quâ, coniugium poſt ordinationem aut profeſſionem contractum, ratum habitum fuiſſe cõprobetur; ſecluſa Pontificum diſpenſatione. Ritum etiã, quo Monachi fiebant tempore Apoſtolorum, exprimens Dionyſius; *Sacerdos*, inquit, *interrogat primùm; An renuncient omnibus diuiſibilibus nõ ſolùm vitis, verumetiam imaginibus*. Vbi manifeſtum eſt, renunciationis nomine, ἀπoταγῆς, Vota monaſtica: Indiuiduæ verò ac ſingularis vitæ vocabulo, cælibem vitã intelligi. Nefas autem eſſe, poſt votum Caſtitatis non ſolùm nubere, ſed etiam, velle nubere, docuerat Apoſtolus 1. Timot. 5. *Adoleſcentiores*, inquiens, *viduas deuita. quum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, damnationem habẽtes, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Diſcipuli Apoſtolorũ continẽtes.

Sanctorum etiam Apoſtolorum diſcipulos cælibatum coluiſſe conſtat ex Ignatio; qui Titum & Timotheum Pauli, Clementem & Euo-

Epiſtola ad Philadelphien.

dium Petri, diſcipulos virginibus annumerauit. Et ex Hieronymo, qui Lucā octogintaquatuor annos vixiſſe ait, vxorem non habentem. Et ex Epiphanio, qui Nicolaum vnū ex ſeptem primis Diaconis, antequā in hæreſim lapſus eſſet, quamuis haberet vxorem formoſam, ab ipſa tamen ſe continuiſſe teſtatur, ad imitationem eorum, quos DEO addictos videbat. Quo fit, vt nullum Eccleſiæ primitiuę tempus inueniatur, quo, vt nonnulli arbitrati ſunt, propter penuriam miniſtrorum Eccleſiæ, ſacris hominibus res vxoria ſecundùm Canones permiſſa fuerit.

In Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorū.
hæreſi 25.

[illegible] quam [illegible] Eccleſia [illegible]imitiua [illegible] is [illegible]cc[illegible]ſiæ ſe[illegible]ùm [illegible]ones [illegible]xoria [illegible]ſſa eſt.

CAPVT II.

Quòd Cęlibatus non ſit contra ius Naturæ, & de verbo DEI: *Creſcite & multiplicamini.*

HIs ita conſtitutis, diſcutienda ſunt, quæ aduersùs prædictam Catholicam doctrinam obijci ſolent.

lent.quorum primũ illud eſt: Quòd ius naturæ omnia animalia, & in his homines, docet generare ſibi ſimile: Quare iuri naturæ aduerſari videntur,qui à matrimonio tantoperè abhorrent, vt etiam perpetuę caſtitatis voto ſe obſtringant. Hic autem nodus ita ſoluitur. Fatemur, quòd Iuriſcõſultus pronũciauit,maris & fœminæ coniunctionẽ ad ius naturæ pertinere: at nõ ibi ius naturę,pro naturę pręcepto aliquo, cui parére omnes & ſinguli teneantur, accipitur: ſed prò naturæ affectibus, quos ad generis propagationem ſtimulantes, tam homines, quàm animalia reliqua,in corporibus ſentiunt. Inſtit. de Iure naturæ, gentiũ, & ciuili.

Neque verbum illud DEI: *Creſcite & multiplicamini:* Cælibatui ſacro impedimento eſt. Vt enim eorum expoſitionem omittamus, qui myſticè id intellexerunt; apud Auguſtinũ de Ciuit. DEI, benedictio potiùs fuit matrimonij quã pręceptũ; ſaltẽ quod omnes & ſingulos homines Libr. 14. cap. 21.

obſtringat: id eſt, facultatem ſignificat hominibus à DEO ingenitam, ad multiplicandum genus humanũ; ſicut & quum panes & piſciculos in deſerto benedixit; Vi quadam diuina Dominus eoſdem multiplicauit. Sed & beſtijs terræ eadem verba in Geneſi DEVM dixiſſe legimus: quæ profectò: pręcepti capaces non erant. Ipſa deniq; ſcriptura Geneſ.9. benedictionem appellat non pręceptum. & ſic intellexerunt Chryſoſtomus & Rupertus Abbas Tuitienſis Geneſ.1. Et Auguſtinus lib. de bono coniugali, cap.2. & de Geneſi cõtra Manichæos, cap.19. & alibi ſæpiùs. Alioquin Abelem & Melchiſedechum eius temporis ſacerdotes ſanctos, & in vtroq; teſtamento laudatos contra diuinum præceptum peccaſſe aſſeremus, quia virgines & cælibes permanſerunt.

Sed nolumus contendere; ſit pręceptum: *Creſcite & multiplicamini:* At præceptum datum primis parẽtibus præceptum datum tribus Noë filijs, eo-

eorumq; vxoribus, pręceptum deni-
que hominum vniuerſitati datum. At ſingularibus quibuſque perſonis, & Chriſti ſacerdotibus, & qui caſtitatem vouerunt, præceptũ eſſe, probari nunquam poterit. Immò verò Chriſtus Dominus per Apoſtolum ſuum ipſos etiam cõiugatos monet, (1. Cor. 7.) vt, qui habent vxores, tanquam non habentes ſint; Et diſcipulis in Euangelio dicentibus: *Si hæc eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere:* (Matth. 19.) Dominus eorum ſententiam comprobauit; vt inferiùs demonſtrabimus. Vnde Cyprianus: *Prima ſententia,* inquit, *creſcere & generare præcepit, Secũda continentiam ſuaſit. Quum adhuc rudis mundus & inanis eſt, copia fœcunditatis propagante generamur & creſcimus, ad humani generis augmẽtum: quum iam refertus eſt orbis, & mundus impletus, Spadonum more viuentes caſtrantur ad regnum.* (Lib. 2. de habitu Virginum.)

Nemo autem hîc nobis, vt olim Manichæi D. Auguſtino, myſticam polygamiam veterum Patrum obijciat. (Polygamia, Veterũ Patrum myſtica.)

ijciat. Eam enim argumentationem ſanctus ille Doctor aduersùs Manichæos, non vno in loco ſcribens abundè diluit: & eos in medijs nuptijs, quas diuino conceſſu contrahebāt, vſq; adeò continentiam animo conſeruaſſe demonſtrauit, vt eam in Abrahamo virtutem virginitati S. Iohannis Euangeliſtæ adæquare non dubitauerit. Verba eius hæc ſunt: *Sicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & in Iohanne, qui paſſus non eſt; ſic non eſt impar meritũ continentiæ in Iohanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui filios generauit. Et illius enim cælibatus & illius connubium, per temporum diſtributionem Chriſto militârunt: Sed continentiam Iohannes & in opere, Abraham verò in ſolo habitu habebat.* In quibus verbis id obſeruandum eſt, quòd nō confert Auguſtinus Coniugium cum Virginitate, ſed cōtinentiam Patriarchæ in coniugio, cum Apoſtoli continentia extra coniugium.

Lib. de bono coniugali, cōtra Iouinianũ cap. 21.

Par meritum continentiæ Abrahæ & Iohannis Euangeliſtæ.

CAPVT III.

An fuerit maledictus in Lege, qui non relinquebat ſemen in Iſrael? Et de Aureola Virginitatis.

SOlet vulgò iactari, in lege maledictam fuiſſe ſterilem, & maledictum, qui non relinqueret ſemen in Iſraël; id verò nunquam in ſacris literis inuenitur, ſi Lyrano credimus: Niſi quòd Exodi 23. inter alia multa commoda temporalia, quæ DEVS ſuam legem ſeruantibus promiſit, illam etiam promiſſionē adiecit: *Non erit infœcunda, nec ſterilis in terra tua:* vbi tamen apud Hebræos pro infœcunda, vox eſt, quæ ſignificat abortientem. Sed non propterea, quę amore caſtitatis prolem non ſuſcipiebat, maledicta erat; alioquin pecora etiam fuiſſent maledicta, quæ non gignerent. Eadem enim loquēdi forma Deus pollicetur ſeruātibus eius mādata: *Nō erit apud*

In cap. 11. Iudicum.

Deut. 7.

te ſterilis vtriuſque ſexus, tam in hominibus, quàm in gregibus tuis, auferet Dominus à te omnem languorem. Ex his locis ſcripturę Iudæorum vulgus peruersè interpretans inferebat: Maledictum eſſe, qui non ſuſcitaret ſemen in Iſraël. Sicut ex eo ſcriptũ eſt: *Diliges proximum tuum,* malè colligebatur illud: *odio habebis inimicũ tuũ.* Ideò ignominię dabatur ſterilitas apud Iudęos, ſed nõ apud Deum, nec in lege ipſa. Quomodò Paulus de Domino ſcripſit: *Factus eſt pro nobis maledictum,* quũ tamen, in eo oẽs gentes benedicerẽtur. Intellexit hoc ſanctus Bernardus. Vnde Homilia 3. ſuper, *Miſſus eſt,* ita loquentem beatam Virginẽ inducit: *Hæc maledictio quid aliud eſt, quàm hominum exprobratio?* Nec ob aliud ſanè dicitur ſterilis maledicta, niſi quòd opprobrio & contemptui ſit habenda, tanquam inutilis & infructuoſa, & hoc in Iſraël tantùm.

Leuit. 19.

Steriles in veteri teſta.

Alioquin, ſi ſacras hiſtorias rectè obſeruemus, ſteriles & infœcundas mulie-

mulieres benedictas præ cæteris fu- mento præ cæteris benedictæ.
iſſe comperiemus, vt Saram, Rebec
cam, Rachelem, Annam matrem
Samuelis, & Elizabeth matrem ſan
cti Iohannis Baptiſtæ, &, iuxta ſan-
ctorum Patrum traditionem, Annã
Beatæ Virginis matrem. Quòd ſi be
nedictæ fuerunt à DEO, quacunq;
tandem ratione benedictæ fuerint,
maledictæ dici non poſſunt. Immò
& Euæ pro maledictione dictũ eſt:
Multiplicabo conceptus tuos. Sap. verò Gen. 3
3. *Fœlix* prædicatur *ſterilis & incoinqui
nata, & Spado, qui non operatus eſt per
manus ſuas iniquitatem.* Nunquam ita-
que maledicitur ſterilis & infœcun-
da, niſi fortè cùm ei ſterilitas, pro-
pter aliquod peccatum, à DEO infli
gitur, non ſi à natura ſit ſterilis. Si-
quidem propter ea, quæ inſunt no-
bis à natura, nec laudamur nec vitu-
peramur: multò minùs ſi amore ma
ioris boni, vt continentię ac virgini-
tatis, vterq; ſexus gignere nolit. Scri
ptum enim eſt: *Non eſt digna ponde-* Eccl. 26.
ratio continentis animæ. Et, *Quàm pul-*

chra eſt caſta generatio cum claritate; immortalis eſt enim memoria illius, quoniã & apud Deum nota eſt, & apud homines. Iam ſi quæuis caſtitas etiam coniugalis pulchra eſt, & immortalis eius memoria, pulchrior certè erit caſtitas viduæ, de qua Apoſtolus: *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit:* Pulcherrima caſtitas virginum, quam Dominus, Hieronymo interprete, fructũ centeſimum proferre teſtatus eſt.

1.Cor.7.

Singularibus potiùs prærogatiuis cælibes ac virgines in lege gaudere voluit Deus, vt in bellis Domini virgines occidere interdũ nõ licebat ſacerdotib⁹, ne cõtaminarentur: nõ licebat funeribus etiã cognatorũ intereſſe, excipiebatur tamẽ funus ſororis eius virginis. Sũt & huiuſmodi alia in lege priuilegia ſolis virginib⁹ cõceſſa, quę nõ opus eſt hoc loco ſigillatim pcẽſere. Cõmẽdat ex tẽpore legis Moſaicę virgines Hieronym⁹, & Ignati⁹, Ioſue, Hieremiã, Danielẽ, & tres pueros, q in fornace Babylonis cõburi nõ potuerũt, Eliã pter-

Virginum priuilegia in lege Moſaica.

Num.31.

Contra Iouinianum.

Ad Philadelphięn.

Virgines veteris teſtamenti.

eà & Heliſæũ, à quib⁹ ſolis in veteri te-ſtamẽto, mortuos ſuſcitatos nouim⁹

Sed & Eſaiæ teſtimonium omnẽ ambiguitatem tollit: *Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint Sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus, nomen ſempiternũ dabo eis, quod non peribit.* Prophetę cõſonat Iohannes Apoſtolus: *Et vidi,* inquit, *& ecce agnus ſtabat ſupra montẽ Syon, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, & cantabant quaſi canticum nouum, & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centũ quadragintaquatuor millia. Hi ſunt qui cũ mulieribus nõ ſunt coinquinati. Virgines enim ſunt & ſequuntur agnum quocunq; ierit. Hi empti ſunt ex omnibus primitiæ Deo & agno.* Ex quibus locis ſancti Patres, ſingularẽ quandã gloriam, quam Aureolã vocãt, virginibus promiſſam intellexerũt: quã Eſaias per nomẽ melius à filijs & filiab. Iohãnes per canticũ nouũq; alij

Cap. 56.

Apoc. 14.

Iſidorus lib. de ſummo bono, cap. 40. Martialis Epiſcopus ad Toloſanos, ca. 13.

can-

cantare non poterant; Dominus ipſe nomine fructus centeſimi, ſignificarunt.

CAPVT IIII.

Quòd Matrimonium Sacerdotum veteris Legis, non facit contra Cælibatum Sacerdotũ noui Teſtamenti.

Leuit 21. Ezech. 44. SAcerdotes quidem Veteris teſtamenti vxorem ducebant, ſed virginem, non viduam aut repudiatã, (Hierony. l. contra Iouinia.) multò minùs infamem, vt intelligas, iam tum in precio habitam virginitatem: ſed & vxorem Sacerdotis viro ſuo mortuo alteri nubere, non licebat. Ex his tamen non ſequitur in nouo teſtamento, à Sacerdotibus eſſe matrimonium contrahẽdum. Tunc enim, vt reſpõdet Siricius Pontifex, (Epiſtola ad Himerũ Tarraconenſem Epiſcopũ.) Sacerdotes per vices ſeruiebant templo: tempore autem vicis ſuæ, non ſolùm ab vxoribus, ſed etiam à vino & domo ſua abſtinebant, in templo iugiter manentes.

Sed

Sed præſtat audire S. Ambroſium eodem ferè tempore, tertium caput epiſtolæ primæ, ad Timotheum exponentem: *Veteribus idcircò*, ait, *conceſſum eſt Leuitis aut Sacerdotibus vxores ad vſum habere: quia multum tempus ocio vacabāt à miniſterio aut Sacerdotio Multitudo enim erat Sacerdotum & magna copia Leuitarum, & vnuſquiſque certo tempore ſeruiebat diuinis cæremonijs, ſecundùm inſtitutum David. Hic enim viginti & quatuor claſſes conſtituit ſacerdotum, vt vicibus deſeruirent. Vnde Abia octauam claſſem habuit, cuius vice Zacharias fungebatur ſacerdotio; ſicut continetur in Paralip. ita vt tempore, quo non illos cōtingebat deſeruire altari, domorum ſuarum agerent curam. At vbi tempus imminebat miniſterij, purificati aliquantis diebus, accedebant ad templum offerre DEO: Nunc autem ſeptem Diaconos eſſe oportet, aliquantos presbyteros, vt bini ſint per eccleſias, vt vnus in ciuitate Epiſcopus, ac per hoc omnes à conuentu fœminæ abſtinere debent: quia neceſſe eſt eos,*

quo-

quotidiè præſtò eſſe in Eccleſiâ, nec habere dilationem, vt poſt conuentum legitimè purificentur, ſicut veteres. Omni enim hebdomada offerendum eſt, etiamſi non quotidiè peregrinis, incolis tamē vel bis in hebdomada: & nō deſunt, qui propè quotidiè baptizantur ægri. Nam veteribus ideò conceſſum eſt, quia multo tempore in templo non videbantur, ſed erant priuati. Si

1.Cor.7. *enim plebeis hominibus orationis cauſa ad tempus abſtinere ſe præcipit, vt vacent orationi, quantò magis Leuitis, aut Sacerdotibus, quos die noctuque pro plebe ſibi commiſſa oportet orare. Mundiores ergo debent eſſe cæteris, quia actores DEI ſunt.* Hactenus Ambroſius. vtitur autem eodem argumento & Hieronymus contra Iouinianum & ad Pamachium: Et Concilium Turonenſe primum, Canone primo.

Item illi Hebræorum Sacerdotes tantùm ex vna tribu, nempè Leuitica, & ex vna eius tribûs familia, ſcilicet Aaronis aſſumebantur. Quare oportuit familiam illam legitimo matrimonio propagari, ne Sacer-

dotium

dotium periret. At in Euangelica lege Sacerdotes ex omni tribu, familia & natione conſecrantur, vt neceſſarium non ſit, ad Sacerdotij conſeruationem ſacrorum hominum matrimonium. Accedit, quòd illi Sacerdotes, non niſi carnes pecudũ & vitulorum & hircorum, offerebant: Chriſti verò ſacerdotes ipſum corpus & ſanguinem Domini. Tantò ergo eſt prȩſtantius Chriſtianum ſacerdotium legali, quantò ſanguis Domini ſanguine vitulorum. Et nilominùs dicitur antiquis illis Leuitis: *Mundamini, qui fertis vaſa Domini*; Eſa. 55. quantò ergo maiori munditie pollere debent Sacerdotes noui teſtamenti? Certè tanta, vt ſi veteres per vices à re vxoria cõtinebant: noſtri ſemper abſtineãt; qui ſemper Sacramenta Domini diſpenſant.

Poſtremò illud conſiderandũ eſt, Eccl. 3. quod ſcripſit ſapiens: *Tempus plantandi, tempus euellendi, tempus amplexandi, tempus longe fieri ab amplexu.* Quod Hieronymus ſic intelligit: lib. contra Iouin.

vt

vt tempus plantandi & amplexandi, ſit tempus veteris teſtamenti: Siquidem propter naſciturum ex coniugata Meſſiam, honorabilius tunc erat coniugium. Tempus autem lõgè fieri ab amplexu, tempus eſt noui teſtamenti. Quòd ſi ea Salomonis ſentẽtia in vniuerſum vera eſt, multò magis in ſacerdotibus. Sacerdotium enim Chriſtianorum, non eſt ſecundùm ordinem Aaron; quare nec vxores habent, vt Aaronici ſacerdotes: ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech, quem continentem fuiſſe, ſuperiùs ex S. Ignatio demõſtrauimus.

Impleta eſt iampridem lex vetus, nec noſtri Sacerdotes Moſaicis decretis, ſed Apoſtolicis gubernantur. Quare Sacerdotes coniugio vacare, iudaizare eſt. Si eos, qui circuncidebantur more Hebręorum in Eccleſia primitiua, verè dixit Apoſtolus, debitores eſſe vniuerſæ legis faciendæ: Aſſerere poſſumus & nos, vt qui Sacerdotes coniugio operã dare volunt;

ſunt; hircorum etiam & vitulorum ſacrificia, ab eiſdem expectent. Hoc genere argumenti vtitur etiam Hieronymus: *Quid loquar*, inquit, *de Abraham (vt ipſe Iouinianus aſſerit) Trigamo, qui ſignum fidei, in circunciſione ſuſcepit; ſi imitamur vxorem illius numerū, imitemur & circunciſionem? Neque enim in parte ſectandus, & in parte repudiandus eſt.* l. contra Iouinia.

CAPVT V.

De verbis Domini: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.*

Dominus, quærentibus Phariſęis: an liceret maritis dimittere vxores quacunque ex cauſa? reſpondit non licere, adijciens: *Quos DEVS coniunxit homo non ſeparet.* Ibi ſancti Apoſtoli hęc audientes: *Si hæc eſt*, inquiunt, *cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Quam Apoſtolorū ſententiam Dominus non improbauit: ſed docuit, nō omnes eſſe tan- Matth. 19.

tæ perfectionis capaces vt cælibes viuant. Dixit itaque: *Non omnes capiunt verbum iſtud; ſed quibus datũ eſt.* Quæ Domini verba Nouatores noſtri ita accipiunt, quaſi rari ſint, qui donum Caſtitatis à Deo acceperint, atq; ideò temerè faciant viri ſancti, qui Caſtitatis voto ſe obſtringunt, neſcientes, an caſtitatis donum ſit eis à Deo conceſſum. Quæ certè conſecutio inualida eſt. Sequitur enim pari ratione & nouos Euangelicos temerè facere, dũ matrimonio ſe obligant, neſcientes, an donum matrimonij ſit eis diuinitùs conceſſum. Sicut enim virtus Caſtitatis, ita & ſanctum
1.Cor.7. Matrimonium, donũ Dei eſt. Vnuſquiſq; ſuum donum habet à DEO,
Prou.19. vnus quidem ſic, alius autem ſic: Et à Domino propriè datur vxor prudens. Immò quũ nihil poſſimus boni cogitare ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo ſit: ſequeretur, neminẽ quicquã boni aggredi oportere, quum neſciat, an habeat Dei donũ ad illud perficiendũ.

Meliùs

Meliùs itaq; Veteres verba Domini intellexerunt: Non omnes capiunt verbum iſtud. Exponit Author operis imperfecti in Matthæum, id eſt: *Non omnes volunt*. Sic: *qui poteſt capere, capiat*, id eſt, *qui vult*. Sæpè enim ſacræ literę voce hac, Poſſe, vtūtur, pro, Velle, vt Matth. 20. *Poteſtis bibere calicē, quem ego bibiturus ſum?* id eſt: vultis bibere calicem? Et Dominus in Nazareth nō poterat aliquas virtutes facere, propter incredulitatē eorū: id eſt, nō volebat, quū alioquin eſſet æquè omnipotens, vt nunc eſt.

Sæpè in ſacris literis, poſſe, ſignificat, velle.

Marc. 6.

Sed quid opus eſt expoſitoribus, vbi Dominus verba ſua explicauit? *Nō omnes*, inquit, *capiunt verbum iſtud*. Si quæris: Qui ergo capiunt? Reſpondet: *Quibus datū eſt*. Si rurſum quęris: Quibus datum eſt? Reſpondet: *Eunuchis illis datum, qui ſe caſtrauerunt propter regnū cælorū*. Sunt enim Eunuchi nati ex vtero matris, non ſolùm ex vicio membrorum, ſed ex naturali quadam ad caſtitatem propenſione. Sunt & alij Eunuchi, qui

Triplex Eunuchorū genus.

facti ſunt ab hominibus, non ſolùm hoſtibus, aut Chirurgis, ſed humana etiam inſtitutione, aut propter humanam gloriam. Sic enim interpretatur Gregorius Nazianzenus. Sunt rurſus, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum : id eſt, qui voto caſtitatis, quaſi quadam machœra, cæleſtis conuerſationis deſiderio, libidinem omnem à ſe abdicarunt. Qui enim ſine voto Caſtitatem obſeruant, caſtrati dici non poſſunt, quum adhuc eis, vbi placuerit, vxores ducere liceat. Neque licet membra ſibi amputare, quod fecit Origenes, ſed membrorum abuſus, quos, eodẽ Origene interprete, ſcriptura nomine membrorum ſignificat. Vt nomine oculorum, oculorũ abuſum: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum.* Vnde & Paulus: *Mortificate,* inquit, *membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* Quæris: quæ membra? *Fornicationem,* reſpondet, *immunditiam,* &c. Diuus Auguſtinus illud: *Quibus datũ eſt,* expoſuit: datum eſſe credenti & volenti.

Caſtrandi Verbum in Euangelio votum Caſtitatis includit.

Matth. 5.

Coloſ. 3.

lenti. Et Gregorius Nazianzenus datum eſſe ſcripſit volentibus. Ipſos enim volentes eſſe, qui petunt & accipiunt: quærunt & inueniunt.

CAPVT VI.

Beatam Virginem votum habuiſſe Caſtitatis.

PErpetuam virginitatem matris Domini, iamolim integris libris Diuus Alphonſus, & Diuus Hieronymus contra Heluidium propugnarunt: Nobis tantùm agendum eſt contra eos, qui noſtra memoriâ ipsã voto virginitatis adſtrictam fuiſſe, negarunt; ducti ea tantùm ratione, quòd deſponſata fuerit Iozepho, ac proinde in opus aliquod coniugale conſenſerit. At verò ſancti Patres Græci & Latini, votum caſtitatis edidiſſe inde colligerunt, quòd Angelo annuncianti, quòd filium DEI eſſet paritura, ipſa reſpondit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* De verbis: *Quomodo fiet iſtud?* Luc. 1.
Quæ certè interrogatio inepta prorſus

ſus eſſet, in ea muliere coniugata, quæ voto caſtitatis DEO non ſe cõſecraſſet. Si enim virũ nõdum cognouerat, cognoſcere adhuc licebat, nullum habenti voti caſtitatis impedimentum. Sic enim locum intellexit Gregorius Niſſenus oratione de Natali Domini. Auguſtinus, de ſancta Virginitate, ca. 4. Bæda, in Euangeliũ de Annũciatione. Bernardus, Homil. 4. Super *Miſſus eſt.* Apponius, in Cantica Canticorum. Et alij plerique.

3. Par. Q. 29. Ar. 2. Ad argumentum de Virginis deſpõſatione reſpõdit Thomas Aquinas ſubſtantiam matrimonij conſiſtere, in quadã animorũ indiuidua coniunctione, & in hanc coniugalẽ animorũ copulã conſenſiſſe matrẽ Domini, quũ Iozepho deſponſaretur. Aliã eſſe copulã carnalẽ, in quã nec Iozephus, nec beata Virgo conſenſerit abſolutè: Sed tantùm ſub conditione, ſi ea eſſet voluntas Dei.

B. Virgo et Iozephus eius ſponſus non cõſenſerunt in copulã carnis abſolutè.

Accepiſſe videtur hanc ſolutionẽ Thomas ex Magiſtro ſententiarũ,

& Gra.

& Gratiano, illi autem Auguſtini authoritate nituntur, cuius hæc verba referunt: *Beata Maria propoſuit ſe ſeruaturam votum virginitatis in corde: ſed ipſum votum non expreſſit in ore. Subiecit ſe diuinæ diſpoſitioni, propoſuit ſe perſeueraturam virginẽ, niſi Deus aliter reuelaret. Committens ergo virginitatẽ ſuã diuinæ diſpoſitioni, cõſenſit in carnalem copulã non illã appetendo, ſed diuinæ inſpirationi in vtroq; obediẽdo. Poſteà verò ſimul cũ viro labijs expreſſit, & vterq; in virginitate permanſit.* Quæ verba, fateor, apud Auguſtinum inuenire nõ potui, inueni tamen, quòd ſanctus Thomas dixit; Matrimonij ſubſtãtiã, in quadam animorũ cõiunctione ſeruari, etiã ſine copula carnis. Capite enim tertio, de bono cõiugali ſic habet Auguſtinus: *Bonũ coniugij, quod etiã Dominus in Euangelio confirmauit, non ſolùm quia prohibuit dimittere vxorem; niſi ex cauſa fornicationis: Sed etiam quia venit inuitatus ad nuptias; cur ſit bonum? meritò quæritur. quòd mihi non videtur propter ſolam filiorum procreationem, ſed*

4. Senten. Diſtin. 21. 27. Q. 2. ca. Beata.

Matrimonij ſubſtãtia in animorũ coniunctione ſeruatur.

propter ipſam etiam naturalem in diuerſo ſexu ſocietatem. alioqui non iam diceretur coniugium in ſenibus, præſertim, ſi vel amiſiſſent filios, vel minimè genuiſſent. Nunc verò in bono licet annoſo coniugio, etſi emarcuit ardor ætatis, inter maſculum & fœminam: viget tamen ordo charitatis, inter maritum & vxorem: quia quantò meliores ſunt, tantò maturiùs à commiſtione carnis ſuæ, pari conſenſu ſe continere cœperunt. Non, vt neceſſitatis eſſet poſteà nõ poſſe, quod vellent; ſed vt laudis eſſet, primùm noluiſſe, quod poſſent. Si ergo ſeruetur fides honoris, & obſequiorum inuicem debitorum ab alterutro ſexu, etiamſi languescentibus & propè cadauerinis vtriuſque membris, animorum tamen, ritè coniugatorum, tantò ſyncerior, quantò probatior, & tantò ſecurior, quantò placidior caſtitas perſeuerat. Hæc ibi. Perſiſtit Auguſtinus in eadem ſententia, libro de ſancta Virginitate, vbi beatã Virginem non concubituram nupſiſſe apertè declarat. Et lib. 1. de Nuptijs & Concup: vbi de coniugio Iozephi & beatæ Virginis matris, ſic loquitur:

Cap. 4.

Cap. 11.

tur: *Quibus placuit ex conſenſu ab vſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum continere; abſit, vt inter illos vinculum coniugale rumpatur: immò firmius erit, quò magis ea pacta ſecum inierint, quæ charius cõcordiusq́; ſeruanda ſunt, non voluptarijs corporum nexibus, ſed voluntarijs affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab Angelo dictum eſt ad Iozeph: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Coniunx vocatur ex prima fide deſponſationis, quam cõcubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus; nec perierat, nec mendax manſerat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnalis commixtio.* Hæc ibi, & alia multa in eandem ſententiam: vbi quod dicitur de deſponſationis fide. ſponſalia de futuro inter Iozephum & Mariam, non autem matrimonium de præſenti contractum fuiſſe, ſignificare videtur, quum voto caſtitatis ſe obligauit Mater Domini. Quam ſententiã ſecuti ſunt Gregorius Niſſenus de Natali Domini, Chryſoſtomus Homil. 4. in Matth. & Simeon Meta-

phraſtes, Oratione, de vita & obitu beatæ Virginis, matris Domini. Sed ſiue ante matrimonium propoſitũ tantùm habuerit caſtitatis, non etiam votum beata Mater Domini, ſiue votum emiſerit ante ſponſalia, ſiue poſt ſpõſalia, ſed ante matrimonium, ſiue poſt matrimoniũ iã verbis de præſenti contractum, ſiue votum fuerit abſolutè, ſiue ſub conditione ſuſceptum: nobis id tantũ euiciſſe ſat eſt, beatam Virginem, matrem Domini, votũ habuiſſe caſtitatis, iuxta ſanctorum Patrum & ſcripturæ ſacræ ſententiam.

CAPVT VII.

Quòd ſanctus Paulus, & cælebs & virgo fuerit.

VIrginitatem & cælibatũ D. Pauli ſancti Patres ex duobus locis
Cap. 7. epiſtolæ 1. ad Corinthios probare ſolent. Primus eſt vbi ait: *Volo omnes eſſe ſicut meipſum.* Alter: *Dico autem non nuptis & viduis; Bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego.* In primum locum

cum Theodoretus ſic ſcripſit: *Se-ipſum exemplar propoſuit, ſuæ caſtitatis theſaurum nobis reuelare coactus.* De ſecundo verò loco ſic ait: *Oſtendit rurſum, ſe eſſe ex ordine cælibum, & eorum, qui vxores non duxerunt. Neque enim iure quis eum inter viduos collocet, cùm adhuc eſſet adoleſcens, quando vocatione dignus eſt habitus.* Venerabilis etiam Beda primum locum exponit his verbis: *Adiecit;* (Apoſtolus) *Vellem omnes, &c. quia vtique ipſe ab omni concubitu continebat.* Et iterum ex Auguſtino: *De ipſa quoque ſacra continentia virginali, quòd non ſit ſibi ex ſeipſo, ſed ſit DEI donum, quamuis credenti, volentique collatum: eundem audiat veracem piumque Doctorem, qui quum hîc ageret ait: Vellem omnes, &c.* Epiſtola ad Iulianum.

Locum verò illum: *Nunquid non habemus poteſtatem ſororē mulierē circunducendi?* Hieronymus primò cōtra Iouinianū ſic interpretatur: *Apparet eum de alijs ſanctis dixiſſe mulieribus, quæ iuxta morē Iudaicū Magiſtris de ſua* De verbis Apoſtoli, 1. Corin. 9: *Nunquid nō habemus poteſtatem mulierem ſororem, &c.*

ſub-

ſubſtantia miniſtrabant; ſicut legimus ipſi quoque Domino factitatum. Nam & ordo verborum hoc ſignificat: Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi, aut ſorores mulieres circunducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli & fratres Domini, & Cephas? Aut ego ſolus, aut Barnabas, nō habemus poteſtatem hoc operandi? Quod & in veteri lege de Sunamitide illa ſcribi-

4. Reg. 4. *tur, quæ ſolita ſit Eliſæum recipere, & ponere illi menſam & panem & candelabrū.* Hęc Hieronymus. Ex quibus obiter id etiam habes, non ſolum Paulum ſororem mulierem non circunduxiſſe, ſed neq; Barnabam, vt eiuſdē propoſiti vtrunque Apoſtolum circa fœminas fuiſſe intelligas.

De verbis Apoſtoli Philip. 4 *Rogo & te germane cōpar.*

Viciarunt quidam, nominatim Eraſmus Rotherodamus, & Faber Stapulenſis, vulgatam editionē Philip. 4. & pro, germane compar, verterunt, germana compar, vel, ingenua coniunx, &c. Et vox quidē Græca, σύζυγε, ambigua eſt ad vtrunq; ſexum: ſed Græci Patres in genere maſculino intellexerunt; Chryſoſtomus,

mus,inquam, Theophilactus & Oecumenius. Et Theodoretus in eum locum hæc habet verba: *Comparem ſeu coniugem,nonnulli ſtultè exiſtimarunt eſſe vxorem Apoſtoli,non attendentes ea, quæ ſcripta ſunt in epiſtola ad Corinthios: quòd,ſcilicet,ſe retulerit in numerum cælibum.* Et infrà: *Vxorem autem eum nunquam duxiſſe,eſt verius.* Chryſoſtomus verò ſic habet: *Quidam dicunt, eum hîc obſecrare vxorem ſuam,ſed non ita eſt.* Et rurſum: *Non de vxore ſua loquitur; ſed honorat mulierem, vel certè virum Euodo,aut Syntiches,vel certè fratrem vnius ex ipſis.* Et Theophylactus: *Nuſquam,* inquit, *legimus Paulum habuiſſe vxorem.* Et Oecumenius: *Stulta cogitatio eorum eſt, qui vxorem Pauli hîc accipiunt. Nunquam enim,ſi vxorem habuiſſet, Philippis eam reliquiſſet: ſed vel Hieroſolymis, vbi educatus erat, vel in ciuitate Tharſenſi, vbi natus erat.* Dionyſius Carthuſianus Germanũ,nomen proprium eſſe arbitratus eſt. Chryſoſtomus refert ſententiam quorundam, nec reijcit, quòd ille,

cui

cui has mulieres cõmendat Apoſto lꝰ, vocaretur Σύζυγος, Latinè, Cõpar. Obijcitur nobis Ignatiꝰ, qui Epiſtola 5. Paulũ inter coniugatos retuliſſe vi detur? Sed Ambroſius Camaldulen ſis, citat Ignatij librũ veterem apud Matthiã regẽ Hungariæ: Et Alphon ſus de Caſtro ſimilem librũ, Oxoniæ in Anglia antiquiſſimum, vt credatur eſſe à tempore S. Gregorij. Turianus etiã Codicem citat Vaticanũ, & alium Florentinum. In his vetuſtiſſimis exẽplaribus, nulla erat Pauli mentio inter coniugatos; vt conſtet recẽtiores codices, ab aliquibus Phi logamis eſſe deprauatos. Quomodò enim Ignatius contra epiſtolam ad Corinthios docuiſſet?

Sententia Ignatij de Pauli cælibatu aut coniugio.

Obijcitur prætereà Clemens Alexandrinus, qui 3. Stromatũ Paulum fecerit coniugatum? Sed liber ille, iã olim à Gelaſij concilio, inter Apocriphos relatus eſt. Quamuis & ibi obſeruare liceat, eundem Clementem docere, Paulum ab vxore ſe cõ tinuiſſe propter miniſterium.

Sententia Clementis Alexãdrini de eodẽ.

Diſtin. 15. cap. 5. Romana.

CAP.

CAPVT VIII.

Quòd Apoſtoli & Diſcipuli Domini, vel Apoſtolorum, aut virgines fuerint, aut poſt nuptias continentes.

QVod de Paulo diximus, de reliquis Apoſtolis poſſumus demõſtrare: nempè virgines eos fuiſſe, aut ſaltem poſt nuptias continentes. De Iohanne certè Euangeliſta neminem dubitare arbitramur. Si quis autem dubitat, audiat Epiphanium, qui, vbi hæreſin 78. Antidicomatianitarum impugnat; *Manifeſtum eſt*, inquit *quòd Iohanni commendauit Chriſtus Matrem ſuam propter virginitatem.* Idem & eodem loco de Iacobo fratre Domini, ſic loquitur: *Vbi annos vixit nonaginta ſex, virgo exiſtens, mortuus eſt.* (Iohannis Euangeliſtæ & Iacobi fratris Domini virginitas.)

De altero autem Iacobo, Simone ſiue Simeone, & Iuda Thadæo, adde etiam Ioſetem eorum fratrem, quem alij Iozephum iuſtũ vocarũt, ibidem (Quatuor filiorum Mariæ Cleophæ virginitas)

& Iacobi Zebedæi. ibidem hæc habet verba: *Si illi vouerunt virginitatis rationem, & Nazaræorũ opus, quantò magis ſenex & venerandus vir* (Sponſum Beatæ Virginis Iozephum intelligit) *vouit cuſtodire virginitatem caſtam.*

Thomæ Apoſtoli cælibatus. Thomas Apoſtolus proximus martyrio apud Abdiam Apoſtolorum diſcipulum ſic orat: *Tu Domine annunciaſti mihi, me tuum eſſe, propter quod nec vxorem accepi, vt tibi totus vacarem; ne templi tui gratiam, vel coniugalis copulæ vſus minueret, vel conſuetudo decerperet.* Si quis tamen Abdiæ authoritatem non recipit, poterit tamen quatuor ſequentibus Apoſtolis coniungere.

Item Andreæ, Bartholomęi, Matthæi, & Matthię. De coniugio quatuor Apoſtolorum, Andreæ, Bartholomæi, Matthæi & Matthiæ, nihil ſcriptum inuenitur: & inde colligit Hieronymus, eos cælibes fuiſſe his verbis: *Quanquam, excepto Apoſtolo Petro, non ſit manifeſtè relatum, de alijs Apoſtolis, quòd vxores habuerint: & quum de vno ſcriptum ſit, ac de cæteris tacitum: intel-*

ligere

ligere debemus ſine vxoribus eos fuiſſe, de quib9 nihil tale ſcriptura ſignificet. Quod genus argumenti vidit ibidem Hieronymus abſolutè nō eſſe validum: ſed ad hominem; vt in Scholis loquuntur; id eſt, aduersùs eos, qui nihil credendum eſſe docent, ſine ſcripto & expreſſo verbo DEI, non infirmum argumentum viſum eſt eidem ſancto Doctori.

Quod verò dixit Hieronymus de Apoſtolo Petro, vxorem eum habuiſſe, cōſtat ex eo; quòd ſocrum eius Dominus in Euangelio à febribus curaſſe legitur. Idem tamen Hieronymus, vbi ſuprà, de Petro ſic loquitur: *Poſſumus de Petro dicere, quòd habuerit ſocrum, eo tempore quo credidit, & vxorem iam non habuerit.* Petri Apoſtoli continentia.

Quoniam autem Hieronymus ſolum Petrum excepit; qui inter Apoſtolos, antequam Chriſtum agnoſceret, vxorem habuerit: conſtat non eſſe Hieronymi, quod inſertū eſt Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, Philippum, ſcilicet, Apo- Philippi Apoſtoli continētia

ſtolum ſepultum fuiſſe Hierapoli cum filiabus honorificè. Vnde & Eraſmus ipſe annotauit, quæcunque ibi leguntur, de Apoſtolis, qui ſcriptis nihil tradiderunt, quorum vnus eſt Philippus; ea Hieronymum authorem non habere.

Locus ille interprete Chriſtophorſono ad Diaconum refertur.

Legitur quidem de Philippo ſimile quid apud Euſebium in hiſtoria Eccleſiaſtica, ſed ita, vt dubium ſit, an de Philippo Apoſtolo, an de Philippo Diacono, ſermo habeatur; quem conſtat ex Actis Apoſtolorum quatuor habuiſſe filias, virgines tamen eas, & prophetiſſas.

Cap. 21.

l. contra Iouin.

Sed eſto, aliqui ex primis Diaconis, aut Diſcipulis Domini vxores habuerint: aſſerimus tamen, quod Hieronymus ſcripſit de Apoſtolis: *Petrus*, inquit, *& cæteri Apoſtoli, (vt ex ſuperfluo id interim concedam) habuerunt quidem vxores; ſed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium neſciebant, qui aſſumpti poſtea in Apoſtolatum relinquūt officium coniugale.* Probat

bat id ibidem Hieronymus ex verbis Petri ad Dominum: *Ecce nos reliquimus omnia, &c. Adiuncta Domini reſponſione, quæ præmium ampliſſimum pollicetur relinquentibus, propter Chriſtum, quæ chara eſſe ſolent in hoc mundo: Inter quæ vt patrem, & matrem, ac filios, ſic etiam vxores annumerat. Vxorem autem amore caſtitatis (ex conſenſu eiuſdem) multos etiam hodiè cum laude relinquere manifeſtum eſt.* Sed de Cælibatu Diſcipulorum Domini, & Apoſtolorum plura ſuperiùs. Matth.19. Cap.1.

CAPVT IX.

De Apoſtoli doctrina circa Cælibatum; maximè, 1. Corinthios, 7. & ad Titum, 1.

QVum ſeptimum Caput epiſtolæ primæ ad Corinthios, ſancti Patres magno conſenſu ita intellexerint, vt in eo Apoſtolus ſacrum cælibatum omnibus Chriſtianis cômen-

mendatum eſſe voluerit, quaſi coniugio meritò præferendum: nihilominùs auſi ſunt quidam noſtro tempore, Pauli verba ſenſu adeo à mente Apoſtoli alieno interpretari, vt etiam ſacris vtriuſq; ſexus hominibus, & qui ſolenni caſtitatis voto ſe DEO conſecrarunt, vt ſe matrimonio coniungant, præcepiſſe Apoſtolum, contendant.

Clamat illo capite Apoſtolus: *Bonum eſt homini mulierem non tangere. Volo omnes homines eſſe, ſicut meipſum. Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Exiſtimo hoc bonum eſſe propter inſtãtem neceßitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Qui habent vxores tanquam non habentes ſint. Volo vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, cogitat quæ Domini ſunt, quomodò placeat DEO: qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodò placeat vxori & diuiſus*

eſt. Et mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit caſta & corpore & ſpiritu, quæ autē nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodò placeat viro. Porrò hoc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis inijciam. Sed ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi. Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habēs neceſſitatem, poteſtatem autem habēs ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo, ſeruare virginem ſuam, benè facit. Qui matrimonio iungit virginem ſuam bene facit, & qui non iungit, melius facit. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium Clamat inquam, his verbis Apoſtolus; Noui autem Euangelici, in tanta luce ſic hallucinantur, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Itaque ſiue Sacerdotes ſint, ſiue monachi, ſiue virgines DEO dicatæ, illud tantùm eis importunè occinunt, ex eodem capite: *Si non ſe continent, nubant: meliùs eſt enim nubere, quàm vri.* Et ad reliqua omnia ſancti Apoſtoli to-

nitrua, planè ſurdi, his verbis præcipi coniugium aſſeuerant, aduerſantes ipſi Apoſtolo ſeipſum explicanti: *Hoc autem dico, ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium. Et: Non habens neceßitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Hi verò, quaſi, qui ſe caſtitatis voto aſtrinxit, qui Sacerdos eſt, qui Diaconus aut Epiſcopus ſeruandæ caſtitatis, non habeat neceſſitatem, poteſtatem eum habere aſſerunt ſuæ volũtatis; qui alioquin nulli mortalium liberum arbitriũ concedunt.

1. Tim. 3. Epiſcoporũ, Presbyterorum, & Diaconorum pudicitia & continentia.

Certè neceſſitatem habere ſeruãdæ caſtitatis in ſacris Ordinibus cõſtitutos, ſatis apertè docet idem Apoſtolus: dum ſcribit; Oportere eſſe Epiſcopum pudicum, & Diaconos ſimiliter pudicos. Quod quaſi interpretãs Hieronymus: *Epiſcopi, Presbyteri, Diacones,* inquit, *aut virgines eligũtur, aut vidui, aut certè poſt ſacerdotiũ in æternum pudici.* Et Arator:

Epiſtola ad Pamachiũ 50. & 74.

In Acta Apoſtolorũ,

Eccleſiæ nunc alma fides, ſine fine pudicos
Pontifices iubet eſſe ſuos.

Prætereà hortatur Apoſtolus: *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut DEI miniſtros, in multa patientia, &c.* Et inter alia: *In vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate.* Quæ verba ſic explicat Ambroſius: *Inoffenſum exhibendum & immaculatum miniſterium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoſcitis, qui integro corpore, incorrupti pudore, alieni & ab ipſo conſortio coniugali, ſacri miniſterij gratiã recepiſtis.* Et Origenes: *Ante omnia Sacerdos, qui diuinis aſſiſtit altaribus, caſtitate debet accingi.* 1. Cor. 6. l. de offic. ca. vltimo. Homil. 17. in Leuiticum.

Sic decernit Apoſtolus, Oportere Epiſcopum eſſe continentem. Id quaſi exponit Euſebius, dum inquit: *Eos qui ſacrati ſunt, atque in DEI miniſterio cultuque occupati, continere deinceps ſeipſos à commertio vxoris decet.* Obſeruanda ſunt tria illa verba, *Oportet Epiſcopum*, &, *Continentem*: aut Græce δεῖ ἐπίσκοπον & ἐγκρατῆ: vox enim, *Oportet*, præceptum & neceſſitatem quandam indicat; quemadmodùm, vbi Petrus ait: *Oportet* Tit. 1. Lib. 1. de monſtrationum Euangelicarũ, c. 9. Acto. 1.

ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati,&c. teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri, vnum ex iſtis. Et cùm Do-
Luc.18. minus: *Oportet*, inquit, *ſemper orare & non deficere*. Quod autem de Epiſcopo dicitur idem ſacerdotibus conuenire, Patres locum illum exponẽtes, magno conſenſu declarant; Et ipſi etiam Nouatores intelligunt:
1.Tim.3. qui propterea verbis illis Apoſtoli malè intellectis; *Oportet eſſe Epiſcopum vnius vxoris virum*; de quibus plura poſteà, contra Sacerdotum cælibatum abutuntur. Accedit, quòd ſcriptura Preſbyteros hodiè appellatos, etiam Epiſcopos nuncupare ſolet; vt eodem Capite, cùm dixiſſet
Tit.1. Apoſtolus: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, &c. vt cõſtituas per ciuitates Preſbyteros:* Poſteà tamen ſubiecit: *Oportet enim Epiſcopũ ſine crimine eſſe*. Quãuis autem Epiſcopos noſtros, etiam Preſbyteros appellet ſcriptura, cũ tamen dixit: *Conſtituas per ciuitates Presbyteros*; Preſbyteros inferiores intellexit. Non enim per omnes ciuitates

uitates Cretæ conſtituendi erant E-piſcopi, qui ſecundùm Apoſtolicū Canonem, celebrioribus tantùm ciuitatibus præficiebantur. Et gradus quidem Epiſcopi & Presbyteri ſemper diuerſi fuerunt, nomina tamen in illis Eccleſiæ primordijs erāt promiſcua. Sic in epiſtola ad Philippenſes. *Salutantur ſancti, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis & Diaconibus*; cùm tamen Philippenſium ciuitas non niſi vnum Epiſcopum haberet, & quidem eo tempore abſentē, Epaphroditum ſcilicet, quem vt Epiſcopis illis Philippēſibus, id eſt, Presbyteris ſuperiorem indicaret Paulus, eiuſdem Epiſtolæ ca. 2. Apoſtolum eum Philippenſium nominat, id eſt, Epiſcopum, Theodoreto interprete. Voce autem ἐγκρατῆ continentem à re vxoria ſignificari, ſatis indicat nomen veterum hæreticorum, qui Enkratitæ ideò dicti ſunt, quòd ita continentiam extollerent, vt matrimonium illicitum eſſe aſſererent. De quorum erroribus, ſequenti Capite

Epiſt. 1. ad Iacobum fratrē Domini.

Cap. 1.

D 5 diſſe-

differemus. Noſtri etiã cũ in Eccleſia tres gradus diſtinguunt, Coniugatorum, Continentium, atque Virginũ; quid Continentium nomine intelligant, perſpicuè demonſtrant. Ipſe
1. Corin. 7. etiam Apoſtolus cùm ad Corinthios ait: *Si non ſe continent*, Græcè ἐγκρατεύονται: *nubant*, id eſt, matrimonio iungantur, Græcè γαμήτωσαν. Ab eodem enim verbo deducta eſt vox, quæ Græcè legitur in eo, quod mox ſequitur: *Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt*, &c.

Conferantur duæ Apoſtoli ſententiæ inter ſe: *Si non ſe continent, nubant*. Et: *Oportet Epiſcopum eſſe continentem*: ac protinus manifeſtum euadet, quid de Sacerdotũ cælibatu Apoſtolus præceperit. Si ſe non continent, nubant, ergo ſi ſe continent, non nubant: Oportet autem Epiſcopum eſſe continentem: Oportet igitur Epiſcopum non nubere. Vt perinde ſit, quod ait Apoſtolus: *Oportet Epiſcopum eſſe continentem*: ac ſi dixiſſet, neceſſe eſt Sacerdotem eſſe cælibem,

libem, & à re vxoria penitus alienum. Quare autem id neceſſarium ſit, ſignificatur eodem primæ Corint. ſeptimo capite. *Volo*, inquit, *vos ſine ſolicitudine eſſe*. Et: *Qui cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodò placeat vxori, & diuiſus eſt*. Si Sacerdotem, neceſſe eſt, non eſſe ſolicitum, de ijs, quæ ſunt mundi, vult igitur Apoſtolus, eum ſine vxore eſſe, vt ſine ſolicitudine ſit.

Scimus quoſdam Patres, paulò aliter hunc locum ad Titum primo fuiſſe interpretatos, ſed ita, vt nullus ex eis ſacro Cælibatui repugnauerit.

Alij aliunde probant Sacerdotum Cælibatum, vt ex eo, quod Apoſtolus præcipit coniugatis; Ex conſenſu ad tempus abſtinere, vt vacent orationi. Alij ex eo, quod ſcriptum eſt; Primam fidem irritam facientes damnationem habere. Conſtat enim id, quod omnibus 1. Tim. 5.

dici-

dicitur: *Sine intermiſſione orate*: Sacerdotibus potiſſimùm conuenire: & ſaltem quos Latina Eccleſia Sacerdotes creat, ſi matrimonium cõtrahant, nouimus, primam fidem irritam facere. Siquidem ſolent ante ordinationem, Epiſcopo eos præmonente, ſe ad Cælibatum ſponte adſtringere.

Nos tamen his verbis: *Oportet Epiſcopum eſſe continentem*; propriè Sacerdotum cælibatum ab Apoſtolo fuiſſe præceptum cenſemus. His enim verbis non ſolùm Sacerdotes iubentur promiſſam caſtitatem ſeruare; ſed etiam ſtatuitur, vt qui ſacerdotio initiandi ſunt, continentiam obſeruare teneantur, vt facultatem habeant ſine impedimento Dominum obſecrandi.

Cap. 5. De profitentibus caſtitatẽ. De profeſſione autem Caſtitatis prima ad Timotheum ſic legitur: *Adoleſcentiores autem viduas deuita: quum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationẽ, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Cle-

Clemens Apoſtolos ſic loquentes ad Epiſcopos inducit: *Si iuniorem in viduitate conſtitueritis, & illa non ferens in iuuentute viduitatem nupſerit: dedecorabit gloriã vidualis gradus; non quoniam ſecundas nuptias ſecuta eſt, ſed quoniam ſuam profeſſionẽ non ſeruauit. Quare oportet nõ temerè, facere profeſſionem. Præſtat enim nõ vouere, quàm vouere, & non reddere.* 3 Conſtit. Apoſtolicarũ, cap. 1.

Eſto igitur, qui non ſe continent nubant: Sed iuxta verbum eiuſdem Apoſtoli: Oportet Epiſcopum eſſe continentem; alienus ergo erit à nuptijs. Item: Meliùs eſt nubere, quàm vri; At non dixit Apoſtolus: Meliùs eſt primam fidem irritam facere, quàm vri. Et Ambroſius ibi: *Quum enim voluntas calori carnis conſentit, vritur* Non ergo eſt vri, vt malè quidam hodiè intelligunt, calorem carnis ſentire: ſed ei conſentire. Idem ad Virginem lapſam: *Hoc non ad pollicitam pertinet.* Sedulius ibidem, Nubant exponit: *modò non vouerint, aliàs enim damnationem habebũt.* 1. Timot. 5. De verbis Apoſtoli: *Meliùs eſt nubere quã vri.*

Hiero-

l. contra Iouin. Hieronymus: *Meliùs eſt nubere, ad comparationem deterioris, velut ſi diceret: Meliùs eſt vnum oculum habere, quàm nullum. Et meliùs eſt vno inniti pede, quàm fractis cruribus repere.* Satis iam ex prædictis conſtare arbitror, quàm longè abſint Sectarij ab Apoſtoli Pauli ſententia circa ſacrum Cælibatum.

CAPVT X.

De antiquis Hæreſibus circa Coniugium & Cælibatum: Et quomodò intelligendum ſit illud Apoſtoli: Doctrinas eſſe dæmoniorum prohibentium nubere?

FVêre olim duo errores extremi. Alter Encratitarum, id eſt, continentium, contra matrimonium; negãtium nuptias eſſe diuinum inſtitutum ſed affirmãtium, Diabolũ con-

coniugij eſſe authorem; ſicut & quarundam creaturarum: à quibus etiam ideò abſtinebant, quòd creatas eſſe dicerent, à malo principio. Hãc hæreſin Paulus dixit eſſe dæmoniorum. Alter error fuit Nicolaitarum contra Cœlibatum: Nicolaus enim, quum eſſet vnus ex ſeptem Diaconis, & vxorem ante ſuam ordinationem duxiſſet; continebat primùm more Apoſtolico; ſed poſteà victus concupiſcentiâ, omnem incontinentiam docuit. 1. Tim. 4.

Hanc hæreſin damnat ipſe Dominus, dum Angelo Epheſi ſcribi iubet: *Hoc habes, quod odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Et Angelo Pergami: *Habeo aduersùs te pauca, quia habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Hos duos errores Eccleſia Catholica ab Apoſtolis edocta, iamolim damnauit. Primùm quidem in Concilo Gangrenſi, aduersùs quendã Euſtathium. Alterũ autem errorẽ quem Iouinianus ſuſcitare conabatur, dãnauit Eccleſia Apoc. 2.

Epiſt. 2. ad S. Ambroſium & Eccleſiā Mediolanenſem.

in Concilio Romano, teſte Syricio Pōtifice ſummo, cui ſubſcripſit Ambroſius cum ſuo Concilio. Eandem hæreſim Vvicklef ſecutus, teſte Valdenſi, in Concilio Conſtantienſi generali damnatus eſt. Orthodoxa enim fides, mediam ſequitur viam. Nam & matrimonium nouit eſſe honorabile, & vnum ex ſeptem Sacramentis diuinitùs inſtitutis, & Cælibatum nouit eſſe honorabilem, & ſacris hominibus maximè conuenire. Neminem Eccleſia cogit ad cælibem vitam, ſed eos, qui ſuâ ſponte ſeſe cælibatui addixerunt, iuxta diuinum præceptum, prohibet primam fidem irritam facere: idque meritò: Siquidem & eos, qui vni vxori fidem dederunt, non licet prima fide violata, ſponſam alteram accipere.

Lutheri doctrina eſt dæmoniorū, vt ipſe fatetur in lib. de Miſſa angula.

Locum Pauli de doctrinis dæmoniorum ſic interpretatur Chryſoſtomus: *De Manichæis, Encratitis, & Marcioniſtis, omniq́, illorum officina hic loquitur Apoſtolus*. Hi ſiquidem docebant:

cebant: Matrimonium eſſe à diabolo. Idem habet Auguſtinus contra Adimantum, cap. 14. & Hieronymus contra Iouinianum, lib. 2. Locum alterum Apocalypſis explicās Aretas Epiſcopus Cæſarienſis, cap. 2. *Si quis roget*, inquit, *quænam fuerint illa facta Nicolaitarum? ex Epiphanio Cyprio, Hereſi 25. diſcere poteſt*. Citat autem pro Cælibatu Epiphanius primum locum Apocalypſis de Nicolaitis, & inter alia ſic habet: *Quum haberet vxorem formoſam Nicolaus vnus de ſeptem Diaconis, & ab ipſa ſe continuiſſet, ad imitationem illorum, quos DEO addictos videbat, aliquatenus tolerabat.* Et infrà, *Deinde à propoſito lapſus, cum propria vxore miſcebatur.* Sententiam Eccleſiæ de Coniugio & Cælibatu ſic declarata Ambroſius cũ ſuo Cõcilio: *Quæ poteſt laus eſſe coniugij, ſi nulla virginitatis eſt gloria? Neque verò nos negamus ſanctificatum à Chriſto eſſe coniugium, diuina voce dicente: Erunt ambo in carne vna, & in vno ſpiritu. Sed prius eſt, quod nati ſumus, quàm quod effecti:*

ri Lutherani ꝓhibēt nubere: q̃a ꝓhibēt ſeruare legē matrimonij, id eſt, vinculum inſolubile. Soluũt.n. illi matrimonia, quãdo alter coniugũ fit adulter, aut deſerit eorũ Sectam: tunc.n. docent licere alterũ inire cõiugiũ. Illi etiã ꝓhibēt abſtinere à cibis, quos Deus creauit, cũ ꝓhibēt Apoſtolicũ ciborũ delectum.

Epiſt. 81. ad Syricium Romanũ Pontificē.

multoq;

multoq́ præſtantius diuini operis myſterium, quàm humanæ fragilitatis remedium. Iure laudatur bona vxor, ſed meliùs pia virgo præfertur.

CAPVT XI.

De Digamia, & de verbis Apoſtol: *Oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum.*

1. Tim. 3. QVod Apoſtolus docuit, Epiſcopum eſſe oportere vnius vxoris virum: non ſic eſt accipiendum, quaſi Epiſcopus eſſe non poſſit, qui maritus non ſit. Ad quem ſenſum intellexiſſe viſus eſt Vigilantius antiquus hæreticus, contra quem Hieronymus: *Proh nefas, ait, & Epiſcopos dicitur ſceleris habere ſui conſortes; ſi tamen Epiſcopi nominandi ſunt, qui non ordinant Diaconos, niſi priùs vxorem duxerint.* Idem contra Iouinianum *Si iuxta ſententiam Apoſtoli, non erunt Epiſcopi niſi mariti: ipſe Apoſtolus Epiſcopus eſſe non debuit, qui dixit: Volo omnes eſſe ſicut meipſum; & Iohannes indignus hoc gradu exiſtimabitur, & omnes virgines &*

nes & continentes, quibus quaſi pulcherrimis gemmis Eccleſiæ monile decoratur. Sed nec intelligenda ſunt Apoſtoli verba, quaſi qui iam Epiſcopus eſt ordinatus, vxorē ducere teneatur. Sic enim Martinus, Nicolaus, Gregorius, Auguſtinus, Ambroſius, Baſilius, Chryſoſtomus, & omnes deniq; Eccleſiæ columnę, contra præceptum Apoſtolicū peccaſſent, quū nullū veterū Patrū vxorē, poſt ordinationē ſuā, duxiſſe meminerię proditum ſit.

Vera ergo expoſitio verborū Apoſtolicorum eſt. Oportere Epiſcopū eſſe vnius vxoris virum, id eſt, Oportere Epiſcopum non eſſe bigamum: Hoc eſt, non habuiſſe vltra vnam vxorem ante ordinationem. Ita, vt ſi ante ordinem ſuſceptum vxorem fortè habuit, &, illa mortua, ſecundam accepit; indignus ſit, qui Epiſcopum agat, etiam poſt ſecundæ vxoris obitum. Non enim videtur caſtitatem Epiſcopalem benè ſeruaturus, qui ſemel à vinculis coniugalibus liberatus, iterum ſe

ſe illis implicauit. Sic cap. 5. epiſtolæ primæ ad Timotheum, Viduam eligi vult, quæ fuerit vnius viri vxor, id eſt, quæ poſt mortẽ primi mariti ſecundò non nupſerit. Sic etiam intellexit vetuſtiſſimus Tertullianus; Qui *quantum*, inquit, *fidei detrahant, quantum ſanctitati nuptiæ ſecundæ, & diſciplina Eccleſiæ & deſcriptio Apoſtoli declarat, quum digamos non ſinit præſidere.* Ambroſius in eandem ſententiam exponit his verbis: *Quamuis ſecundam numero vxorem non ſit habere prohibitum* (ſcilicet mortua prima) *vt tamen quis dignus ad Epiſcopatum ſit, etiam licitâ debet ſpernere, propter ſublimitatẽ ordinis. Hæc ſunt ſigna dignitatis Epiſcopalis: Si quis autem potiora ſectatur, & corpus & animam ſuam DEO dicauerit, ne ſe copulet matrimonio, tanto dignior fiet. Ideò enim inferiorem poſuit, vt de potiore nemo dubitaret.* Epiphanius etiã: *Eum*, inquit, *qui ſecundas nuptias cõtraxit, non licet in Eccleſia aut ſacerdotium ſuſcipere, etiamſi is, qui ab initio continens viduus fuerit, poſſit habere locũ Epiſcopi,*

Lib. 1. ad vxorem.

In fine libri contra hæreſes.

Preſby-

Presbyteri; Diaconi Hypodiaconi. Item Ambroſius: *Qui iterauerit coniugium, culpam quidem non habet coinquinati, ſed prærogatiua exuitur ſacerdotis.* Et infrà: *Quomodò enim poteſt conſolari viduam, cohortari ad ſeruandam marito fidem, quam ipſe priori coniugio non ſeruauerit?* Et iterum Epiphanius vbi ſuprà: *Sanctum ſacerdotium ex virginibus quidem, vtplurimùm procedens. Si verò non ex virginibus, at ex ſolitariam vitã ducentibus. Si verò non ſuffecerint ad miniſterium ſolitariam vitam ducentes, de his qui continent à proprijs vxoribus, aut ab vnis nuptijs ſeruantibus viduitatem.*

Epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercelenſem.

Quod vſque adeò verum eſt, vt eum, qui ante Baptiſmum habuerit vnam vxorem, & illa mortua poſt baptiſmum alteram duxerit, ordinare nõ liceat, teſte Auguſtino, quia Sacramentum, inquit, nuptiarum temporis noſtri, ſic ad vnum maritum & vnam vxorem redactum eſt, vt diſpenſatorem Eccleſiæ non liceat ordinari, niſi vnius vxoris virũ.

De eo, qui duxit vnam ante baptiſmũ, alterã poſt.

Lib. de bono coniugali, ca. 18.

Quod acutiùs intellexerunt, qui nec eũ, qui catechumenus, vel paganus habuerit alteram, ordinandum eſſe cenſuerunt. Idem docet Ambroſius & Innocentius I.

Epiſt. 82. ad Eccleſiam Vvercelen. & epiſtola 22. ad Epiſcopos Macedoniæ.

Nec turbare quemq; debet, quod addidit Apoſtolus: *Filios habẽtem ſubditos*, &cæt. Habentem enim dixit, non gignentem. Et adiecit: *Subditos in omni caſtitate*. Vnde Hieronymus: *Vide, quanta pudicitia exigatur in Epiſcopo, vt ſi filij eius impudici fuerint, ipſe Epiſcopus eſſe non poſſit.* Et Ambroſius: *Apoſtolus eſt, qui vnius vxoris virum Epiſcopum eſſe præcipiat, non quo exortem excludat coniugij; hoc enim ſupra legem præcepti eſt: Sed vt coniugali caſtimonia, ſeruet ablutionis ſuæ gratiam. Neque iterum vt filios in ſacerdotio creare Apoſtolica inuitetur authoritate, habentem enim dixit filios, non facientem.* Calumnia ergo eſt, aut imperitia eorum, qui vbicunque aliquid legunt de vxore, aut filijs alicuius Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi vel Hypodiaconi, aut Monachi, ſtatim

I. contra Iouin.

Epiſt. 82.

Mentio filiorũ cùm de ſacris hominib⁹ agitur, nihil probat contra cælibatum.

tim inferunt: Non ergo ſemper fuerunt ſacri homines obligati ad cœlibatum? Quaſi non poſſint Eccleſiaſtici homines, vt & prophani, contra canones ſuos peccare: Et quaſi, qui ex illis ſancti fuiſſe comprobantur, non potuerint ante ordinationem vel profeſſionem, vxorem, vel filios habuiſſe, à qua vxore poſteà iuxta Canones cõtinuerint. Antequã igitur ſcripta de vxoribus huiuſmodi hominum nobis obijciant: probent neceſſe eſt aut illas poſt ordinationem licitè duxiſſe, aut ab eis ex mutuo conſenſu, iuxta Canones, non continuiſſe. Quod ſat ſcio nec vno quidem exemplo confirmare poterunt; niſi fortè, vbi Cathedræ Apoſtolicæ diſpenſatio aliqua propter grauiſſimam cauſam interueniſſet.

CAPVT XII.

De antiquitate Monachorum.

Centuriatores Magdeburgici.

FIngunt aduerſarij Eccleſiæ, vt ſic magis cælibatui ſacro detrahant, recens eſſe Monachorum; qui caſtitatem cumprimis ſolent profiteri; inſtitutum: & quarto demum ſæculo poſt Chriſti paſſionē ſub Imperatoribus iam Chriſtianis exortū. Sed non difficile eſt, probare, & in lege naturæ & Moſaica, & ipſis Apoſtolorū temporibus viros pios extitiſſe, qui non cōtenti communibus fidelium obſeruationibus, arctiori vitæ ſeſe addixerint.

Nazaræi antiquiſſimi religioſi.

Ex quorum numero primi occurrunt Nazaræi; quæ vox Hebræis cōſecratos deſignat. Geneſis autē 49. tempore Patriarcharum, Iozephū vnum ex duodecim filijs Iacob, Nazaræum fuiſſe legimus. Benedictiones, (ait pater eius iam moriens,) fiant in capite Iozeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos. His Nazaræis certas quaſdam obſeruatio-

nes

nes præſcripſit poſteà lex Moſaica: vt, non bibere vinũ, nec omne quod inebriare poteſt: non radere caput, ſuper mortuum non ingredi. & cæt. Inter quę additur & illud: *iſta eſt lex cõſecrationis, quum dies, quo ex voto decreuerat, complebuntur*. Ex quibus verbis cõſtat eos fuiſſe Deo conſecratos, & votum habuiſſe. Quare Gregorius Nazianzenus ſui temporis Monachos aptè Nazaræos appellauit, dũ ſuis Conſtantinopolitanis valedicceret. Iudicum 13. Sampſon perpetuus Nazaræus fuiſſe deſcribitur. Diuus etiam Epiphanius ſanctum Baptiſtam, & ſanctum Iacobum fratrem Domini, Nazaræos fuiſſe refert.

Num. 6.

In oratione quam dixit Conſtantinopoli diſceſſurus.

Hæreſi 29.

De Iacobo,[a] Hieronymo teſte,[b] Egeſippus ſcriptum reliquit, vinũ & ſiceram non bibiſſe, carnem non comediſſe, veſtibus laneis non fuiſſe vſum, nec balneis, nec vnguentis; ita in oratione aſſiduũ fuiſſe, vt genua eius duritiem camelorum contraxiſſe viderẽtur. Sed & virginem permanſiſſe ſuperiùs probauimus, quũ

a In Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum.

b Libr. 5. Cõment.

Tonſura monaſtica tempore Apoſtolorum.

Li. de Theoria rerũ Eccleſiaſticarum.

de Apoſtolorum cælibatu ſermo eſſet. Tonſuræ etiam eius monaſticę meminit ſanctus Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha. Quin etiam Nicephorus collobium eius commemorauit. Propter quæ omnia, & quia ex Actis Apoſtolorum conſtat, ſancti Apoſtoli, & primi Chriſtiani, nihil habebant propriũ: Sed omnia illis erant communia, diuidebantur autem, prout cuiq; opus erat; propter quod obedire illos oportuit, diuidentibus, quæ communia erant. Quidã non ineptè ſcripſerũt, hunc Iacobũ fratrẽ Domini primũ fuiſſe monachũ noui teſtamẽti.

Iacobi frater Domini primus monachus noui teſtamenti.

Rechabitarũ religio

Hier. 35.

Laudat præterea Rechabitas ſcriptura diuina, quibus pater has leges præſcripſerat: *Domũ non ædificabitis, ſementem non ſeretis, vineas nõ plantabitis, nec habebitis: ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris, non bibetis vinũ vos, & filij veſtri, vſq; in ſempiternũ.* Deus verò iſtorum obediẽtiam, his verbis commendat: *Pro eo, quod obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis*

ſtis mandata eius, & feciſtis vniuerſa, quæ præcepit vobis; propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël; Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.

Erant & filij Prophetarum tempore legis Moſaicæ, quos D. Hieronymus monachos fuiſſe dixit. Eorũ obſeruationes colliguntur ex libris Regũ: polẽta & rebus agreſtibus victitaſſe, ædifi aſſe ſibi caſulas prope fluẽta Iordanis, ꝓphetaſſe, Pſalmos decantaſſe in laudem Dei gregatim euntes. Heb. 11. de ijſdẽ loquitur Paulus: *Circumierunt in melótis, & in pellibus caprinis, in ſolitudinibus errantes, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Ex his erat Elias vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus, vt & S. Baptiſta deſcribitur ab Euãgeliſtis, & hodiè cingi videmus monachos ſancti Auguſtini. Ex his etiam erat Eliſæus, qui relictis parẽtibus, & duodecim iugis boum, Eliam ſecutus eſt.

Filij Prophetarum religioſi. Epiſt. ad Ruſticum. Lib. 1. & 4.

Eliæ habitus. 4. Reg. 2. 3. Reg. 19.

Celebratur à Iozepho & Philone in ſtitu-

Eſſeorum religio.

ſtitutum Eſſeorum, qui votum habuerunt triplex, Caſtitatis, Abdicationis proprij, & Obedientiæ, Ieiunia rigida, pſalmodias. Eorum domus apud Philonem vocabantur, σέμνεια ſeu μοναςήρια. Hos Euſebius, Epiphanius, & Hieronymus monachos Apoſtolicos fuiſſe docuerunt: quorum gloriam Philo & Iozephus Iudæi; quia primi illi Chriſtiani & religioſi ex Iudæis erant, in ſuam, id eſt, Hebręorum gentenm, tranſtulerunt,

Monchi Apoſtolici.

Monachos autem fuiſſe tempore Apoſtolorum, vel ex eo conſtat, quòd Areopagita ipſorum diſcipulus præterquam, quòd eorum conſecrationem, nomen & religionem explicauit: Epiſtolas etiam ſcripſit ad Caium cultorem, & Demophilum Monachum,

Cap. 6. Eccleſiaſt, Hierarchiæ.

CAP.

CAPVT XIII.

Græcam & Orientalem Eccleſiam cum Occidentali, & Latina in doctrina, de Cœlibatu, omninò conuenire: & quo ad recentiores Canones parùm inter ſe diſsidere.

IN doctrina, de Cælibatu, Græcam & Orientalem Eccleſiã cum Latina & Occidentali conuenire; & ſatis iam ex ſuprà dictis liquet. Plurima enim Patrum Græcorum teſtimonia protulimus, quibus idẽ prorſus docent, quod Latini: & cui prædicta non ſufficiunt, legat Athanaſium lib. de Virginitate, Chryſoſtomum, & Gregorium Niſſenum eodem Titulo: qui vel ſoli teſtes ſunt omni exceptioni maiores, de Græcę Eccleſiæ cum noſtra conſenſione.

Conſonat illis Synodus Næocæſarienſis tempore martyrum, cuius Canon primus, quem bis citat Gra-

tianus

Diſtin.28. tianus,ſic habet: *Presbyter,ſi vxorem duxerit,deponitor.* Nec cōtradicit Cōcilij Ancyrani Canon 10. Eius enim verba Sunt: *Diaconi cùm ordinantur, ſi proteſtati ſunt, velle ſe habere vxores,& poſteà ad nuptias peruenerint, maneant in miniſterio.propterea, quòd his Epiſcopus licentiam dederit .quicunque ſanè tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem, profeſſi continentiam: Si poſteà ad nuptias peruenerint, à miniſterio ceſſare debebunt.*

Tacita profeſsio Caſtitatis. Iſte, inquā, Canon, dictis non aduerſatur. Nam & apud nos ideò Hypodiaconi tacitè continentiā profiteri dicuntur,quòd cùm ordinantur ab Epiſcopo, de caſtitate in poſterum ſeruanda,ſilentio ſuo ſe conſentire demonſtrant. Eos verò Hypodiaconos,qui ſine hac obligatione, conniuentibus Epiſcopis, fuerant in Sicilia ordinati,ſanctus Gregorius noluit ad Cælibatus obſeruationem adigi.

Lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſt.c.8 Socrates quidē refert,quòd cùm Patres Nicæni Concilij, voluiſſent

ſtatue-

ſtatuere, vt ab vxorum contubernio, quas ante Sacerdotium duxerant Sacerdotes arcerentur, reſtiterit Paphnutius dicens: Caſtitatem eſſe cum propria vxore commertium, & ita Patres rem totam liberam reliquiſſe. Id ſi verum eſt; intelligunt quidam, noluiſſe Concilium eos etiam ad Continentiam obligare, qui cùm ordinarentur, ſe nolle continere, fuerant proteſtati, & quibus Epiſcopus licentiam dederat; interceſſiſſe autem Paphnutium, vt Canon Ancyranus confirmaretur. Sed res planè ſuſpecta eſt falſitatis: Nam id ante Socratem nemo retulit, & ex illo accepit Sozomenus, & ex vtroq; Suidas. Non id retulit Euſebius, non Athanaſius, qui Concilio interfuerunt, quin potiùs contrarium ſcriptum reliquerunt, ſicut & Theodoretus & Epiphanius, qui paulò pòſt floruerunt. Præthereà Socrates Nouatianus fuit. Nouatianus etiã fuit Sozomenus: & ideò eius authoritatẽ nõ recipi apud ſedem

Alanus Copus Dialy. ſi 3.

Lib.6. epiſtola 31. ſedem Apoſtolicam dixit Gregorius: & Suidas ex hæreſi Triteitarum. Accedit, quòd Socrates ipſe ſibi cõtradicit. Cap.22. Nam lib.5. refert in Theſſalia clericos non continentes ſolitos fuiſſe deponi. Paphnutij etiam ſententiam quomodò amplecteretur Nicæna ſynodus, quæ Meletianos damnauit, ex quorum numero fuiſſe Paphnutium, aſſerit Epiphanius? Contra Sectam 68. Credendum potiùs, vt etiam in noſtro Nicæno ſignificauimus, Nicænam ſynodum confirmaſſe Apoſtolorum & Martyrum Canonem, de Continentia ſacrorum hominum. Si enim liberum reliquiſſet, quum ſit Concilium generale, ad totã Eccleſiam pertinens, nũquam eius tẽporis Romani Pontifices conſtantiores certè Nicæni Concilij propugnatores, quàm Græci, libertatem illam in Eccleſia occidentali ſuſtuliſſent. Hæreſi 59. Epiphanius quamuis Græcus, ſcribit contra Catharos; *Liberos gignentem non ſuſcipit ad Sacerdotiũ ſancta DEI Eccleſia. Sed dices mihi, in quibuſdam*

buſdam locis adhuc liberos gignere? At hoc non eſt iuxta Canonem. Quem, obſecrò, Canonẽ Author hîc niſi Nicænũ, cuius recẽs erat memoria intelligit? Conſonat Hieronymus, qui eodem tempore contra Vigilãtium ſcripſit: *Quid facient Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti? & Sedis Apoſtolicæ? quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi vxores habuerint mariti eſſe deſiſtunt.* Euſebius etiam, qui Concilio interfuit, *Eos*, inquit, *qui ſacrati ſunt, continere ſe deinceps à commertio vxoris decet.* Gregorius Niſſenus & ipſe Græcus, non ita multò poſt Concilium: *Quomodò offers,* ait, *DEO, qui non audis legem, quæ prohibet conſecrari non caſtum?* At lex non fuiſſet, ſi Concilium liberum reliquerat. Eadem tempeſtate Cyrillus Hieroſolymitanus idem confirmat, his verbis: *Si is, qui rectè Sacerdotio fungitur abſtinet à muliere; quomodò Chriſtus ex viro & muliere naſci debebat?* Concilia præterea eo ſæculo per orbẽ Chriſtianũ celebrata, cõtinentiã Sacerdotibus

l. Demõſtr. Euangelicarum, c. 9

Lib. de Virgine.

7. Catecheſi.

F indi-

indicunt, pocul dubio non cōtradicentia Nicæno Canoni. Inter quæ Romanum Concilium ſub Silueſtro, qui Nicęno Concilio authoritatem dedit, Canone octauo: Nullū Hypodiaconorum ad nuptias trāſire permittit. Et Canone 19. ſtatuit, vt nullus Preſbyter, à diȩ oneris Preſbyterij ſumat coniugium. Similia decernunt eodem tempore,
Can. 33. Concilium Elibertinum in Hiſpania,
Can. 2. Arelatenſe ſecundum in Gallia,
Can. 3. Carthaginenſe primum in Africa.

Primùm Trul. in Cōcilio ſchiſmatico cō tinentiæ Apoſtolicę aliquid detractum eſt.

Primum fuit in Græca Eccleſia Trullanum Concilium ſchiſmaticum, quod quidam ſextum generale falsò exiſtimarunt, in quo Apoſtolicæ continentiæ aliquid detractum eſt: idque ſexto demum ſęculo, degenerante iam Orientali Eccleſia. Neque tamen eô progreſſi ſunt Trullani, quô noſtri temporis Euangelici. Abſit. Immò Canone tertio, deponunt bigamos, & viduarum maritos. Canone 4. deponunt

cleri-

clericum cum moniali peccantem. Canone 5. prohibent habitare clericum cũ extraneis mulieribus. Canone 6. Hypodiaconus vxorem ducens deponitur. Canone 12. ſtatuũt vt Epiſcopi ab vxoribus abſtineant, quas ante ordinationem acceperũt. Multis alijs Canonibus hoc Cõciliũ continẽtiam ſacrorum hominum inculcat, vt 26. 30. & à 40. vſque ad 48. Hoc tántùm Græcis induxit noui Trullana iſta Synodus, quòd Hypodiaconos, Diaconos, Preſbyteros, abſtinere iubet ab vxorib⁹, ante ordinationem acceptis, tempore vicis ſuæ duntaxat, more Iudaico. Can. 13.
Non mirum ergo, Trullani huius Concilij nõ eſſe in Eccleſia integrã authoritatẽ. Nã & approbat Synodũ Carthaginenſem de rebaptizandis hęreticis: & Blondus ſubſcripſiſſe ait, imprudẽter Romani Pontificis Sergij Oratores, ipſum autẽ Pontificẽ conſtanter contradixiſſe. Poſt plures verò annos factũ eſt, vt Romani Pontifices hanc celibatus diſ- Can. 2. Lib. 10. decadis.

ferentiam,ad pacem Eccleſiæ conſeruandam,Græcis conceſſerint, vt Stephanus 4. vulgò 3.dictus.,Diſtin. 31.Cap.Aliter.

CAPVT XIIII.

Quòd Hypodiaconatus ſemper annexam habuerit Continentiam.

CVr quidam ordines ſacri, alij
non ſacri,appellentur;alij aliter
explicant: nos id perſuaſum habe-
mus; ſi ſacrum ordinem intelliga-
mus eum, cui votum Caſtitatis, iu-
Can.27. xta Eccleſiaſticos Canones,annexũ
ſit;Hypodiaconatum & eſſe nunc,
& iaminde ab Apoſtolis fuiſſe ordi-
nem ſacrum. Certum enim eſt ab i-
pſis Apoſtolis inter clericos lectori-
bus,Cantoribusq́;tantũmodò,id eſt,
ijs, qui ſunt in minoribus ordinibus
conſtituti, nuptias fuiſſe permiſſas.
Vnde & Acoluthi in quibuſdam
eccleſijs continebant,vt de Lectori-
bus habetur Cõcilij Chalcedonen.
Ca-

Canone 13. aliàs 14. Diſtin. 32 *Quoniã in quibuſdam:* Et Leonis primi Epiſt. 90. ad Ruſticum Narbonenſem: Et Can. 2. Carthaginenſis Concilij 2. legimus: *Ita placuit, & condecet ſacros Antiſtites, & Dei Sacerdotes, nec non & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inſeruiunt,* (hi ſunt Hypodiaconi) *continentes eſſe in omnibus: quo poſſint ſimpliciter quod à Deo poſtulant impetrare: vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.*

Sic Concilium Eliberinum Nicæno ſæculo. Can. 33. ſtatuit: *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis ac Subdiaconis abſtinere ſe à coniugibus, & nõ generare filios.* Et Leo, Epiſt. 82. aliàs 84. ad Anaſtaſiũ Theſſalonicenſem Epiſcopum, quanuis Græcum cap. 4. præcipit, Hypodiaconos à nuptijs aſtinere: Et vt Hypodiaconi, qui ante ordinationem vxorem duxerunt, ſint quaſi nõ habentes: qui non duxerunt, maneant ſingulares; id eſt, cęlibes. Concilium Aurelianenſe tertium, Can. 1. depo-

 nit

nit Hypodiaconum non continen-tem ab vxore. Iuſtinianus, etſi Græcus Imperator, prohibet nuptias Clericis, præterquam Lectoribus & Cantoribus, ex Canone Apoſtolorum legem Cæſaream faciens. Et Conſtit. 123. *Ordinandus Diaconus, vel Hypodiaconus, debet profiteri, caſtè ſe vi cturum ſine vxore. Epiſcopus verò aliud permittens deponitur ab Epiſcopatu.* Ex dictis manifeſtum eſt in Eccleſia primitiua, ne dum ante Gregorij tempora, etiam in Græca eccleſia ſecundùm Canones Hypodiaconos fuiſſe continentes & cælibes: vt hallucinatos fuiſſe intelligas eos, qui Siricium Pontificē. Cælibatus authorem fecerunt: & eos, qui primum Gregorium Hypodiaconis continentiā indixiſſe arbitrati ſunt, quaſi ante Gregorium Hypodiaconatus non fuiſſet ordo ſacer. Sed magis aberraſſe agnoſces, qui Gregorium ſeptimum ſcripſerunt primū fuiſſe, qui Sacerdotum connubia dirimerit.

Nouella 5. Conſt.

Non fuit Syricius, nec Gregorius primus, nec Gregorius ſeptimus Author Cælibatus

Illud

S. Vdalricus nō ſcripſit contra Cælibatū.

Illud etiam falſum eſſe, perſpicuum eſt, ſanctum Vdalricum Pontifici Maximo reſtitiſſe in negocio cælibatus; quaſi tempore primùm ſancti Vdalrici Pontifex Romanus cælibatum in Eccleſiam Germanicā introducere conaretur. Et tamen ſi DEO placet, circumfertur hodie inter orthodoxographa Epiſtola S. Vdalrici ad Summum Pontificem, in qua Cælibatum impugnat. Quæ magis certè Vlricum Huttenū nouum Euangelicum redolet, quā ſanctum Vdalricum, Auguſtanum Epiſcopum: præſertim cùm demōſtrari non poſſit, aliquem ſcriptorē huius Epiſtolæ mentionem feciſſe, ante noſtri temporis Euangelicos.

Quo ſenſu verum ſit, Hypodiaconatū aliquādo nō fuiſſe ordinē ſacrum. àc. à multis

Dixit quidem Innocentius 3. ex Vrbani primi authoritate, Hypodiaconatum in Eccleſia primitiua non fuiſſe ſacrum appellatum: ſed aliud agebat ibi Vrbanus, nempè in Eccleſia primitiua ex Hypodiaconi non fuiſſe conſuetum Epiſcopos eligere. Nos Hypodiaconatum

De ætate & qualitate præficiēdorū.

 tum

tum ſacrum eo ſenſu tunc fuiſſe aſſerimus, quòd annexam habuerit ſecundùm Canones continentiam Nam & virgines ſacras dicimus quæ ſe Deo per votum Caſtitatis conſecrarunt: quamuis nullius Ordinis etiam minoris ſint capaces.

CAPVT XV

Non expedire, vt ſacris hominibus res vxoria concedatur.

SVnt qui contendant, tametſi in veteri Eccleſia lex Cælibatus ſemper viguerit; noſtro tamen tempore, quo pauci, (vt aiunt) inueniuntur, qui cælibem vitam inculpatam degant; operæprecium eſſe, ſi Eccleſiæ proceres ſacris hominibus cælibatum liberum relinquerent. Qui ſic opinantur, zelum quidem habere videntur, ſed non ſecundùm ſcientiam. Vt enim omittam, non deeſſe authores, qui cælibatus legem diuinam eſſe defendant, (quod certè veriſſimũ eſt, ſi de his loquamur, qui

qui tacita vel expreſſa profeſſione caſtitatis ſe Deo conſecrarunt, iuxta illud: *Vouete & reddite Domino Deo veſtro*) illud negari non poteſt, ſtudia coniugatorum & ſacrorum hominum δὶς διὰ πασῶν inter ſe diſtare, dicente Paulo: *Qui cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quo modo placeat vxori; & qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt DEI, quo modo placeat DEO.* Vnde & ſummus quidam Pontifex quaſi per parabolam dixit: *Non benè conuenire citharam cum Pſalterio.*

Quo ſenſu verum ſit Cælibatum legem eſſe diuinam.

Innoc 3 c. de diuerſis De clericis cõiugatis.

Nec tamẽ vnquam abſolutè prohibuit Eccleſia coniugatos ordinari. Semper enim licuit, ad perfectiorem ſtatũ & ſanctius vitę genus trãſire: Sed abdicato priùs minùs perfecto vitæ inſtituto, ne quis contra legem in boue ſimul & aſino arare videretur. Coniugatis ergo ſemper licuit, & hodiè licet, ſemperq; licebit Sacerdotes creari: modò ipſi ex conſenſu velint continere, & quæ ſunt Eccleſiæ, filijs, quos ante ſacerdotium genuerunt, non impertiantur,

Quo ſenſu licet, coniugatos eſſe Sacerdotes?

ſed iura Eccleſiarum ſeruentur illæ-
ſa, & modò vnius vxoris, eiuſque
Incommoda ex coniugio Sacerdotum. virginis viri fuerint. Experientia e-
nim docet, magna Eccleſiæ detrimẽ
ta contigiſſe ab his, qui ædificantes
in ſanguinibus, cum nepotibus ſuis,
aut alioquin ſecũdùm carnem pro-
pinquis, bona Eccleſiarum conſu-
munt: vt veriſimilimum ſit, ſi filios
haberent, nihil ſaluum Eccleſiæ fo-
re relinquendum, ſed omnia paula-
tim in filios diſtrahenda. Et Eccle-
ſiæ pauperes, quæ vix Parochum a-
lere poſſunt, quomodò quæſo vxo-
rem etiam eius, & numeroſam ſo-
bolem alerent?

Periret inſuper reuerentia, quam populus Sacerdotibus ſuis debet, vt experiuntur Græci, apud quos coniugatis Sacerdotibus nihil eſt contemptius: & Epiſcopi non niſi ex Hieromonachis vocatis deligũtur, ex Preſbyteris ſcilicet votum habentibus caſtitatis. Experiuntur & hodiè magno ſuo incõmodo Prouinciæ, quæ ab Eccleſia Catholica defece-

defecerunt: in quibus vulgus paſſim cõqueritur, de oneribus grauibus & intolerabilibus, quæ coniugij Prædicantum nomine ferre cogitur. Iam nemo arcanam ſuorũ peccatorum confeſſionem, coniugato Preſbytero auderet committere: ne fortè ſecretum omne coniunx ab eo, blanditijs, vt à Sampſone olim Dalila, extorqueret.

Cauſa ſcandalorũ, quæ hodiè multis locis viſuntur, nõ eſt profectò lex cælibatus, ſed legis eius præuaricatio. Benè fecit Deus prohibens fornicationẽ ſexto decalogi præcepto, nec abrogat eam legẽ, propter multitudinem ſcortatorũ. Sic benè fecit Apoſtolica Eccleſia per Spiritũ ſanctum legẽ conſtituens cęlibatus, nec propter multitudinẽ concubinariorũ, (ex quibus multi parùm Catholici ſunt) abrogabitur. Quidam noſtra memoriâ in concilio Tridentino, & apud Piũ 4. vehementer hac de cauſa laborarũt, nihil tamẽ obtinuerũt. Præuidebat enim ſancta Synodus, Soluuntur argumẽta cupientiũ coniugiũ Sacerdotũ.

prudentiſſimusque Pontifex, futuram in Eccleſia confuſionem, vt ſacerdotia fierent hæreditaria, vt Eccleſiæ Latinæ Sacerdotes, non niſi per vices more Iudaico Eccleſię deſeruirent; & vt bona Eccleſiarum ſibi potentiores vendicarent, qui nunc ab eorum vſurpatione, lege cælibatus arcentur.

Sunt fateor multi Concubinarij; ſed non ſunt pauciores adulteri: vt ergo propter adulterorum multitudinem, non abrogatur matrimonium; ita nec propter turpiũ Sacerdotum ſacrilegia, abrogandus eſt cælibatus: alioquin tollantur omnes bonæ leges humanæ, ac diuinæ. Nam & eas plurimi tranſgrediũtur: quod nihil aliud eſſet, quàm cum zizanijs concubinariorum, tollere ſimul & triticum bonæ legis, & ſanctorum Sacerdotum: quorum vnus plus valet apud Deum, teſte ſcriptura, quàm mille impij.

Interim, quis, obſecrò, audebit promittere Sacerdotes sãctiores futuros,

turos, quum multiplicatæ fuerint peccandi occaſiones, ingreſſus ancillarum, viſitationes cognatarum & vicinarum? immò quod nunc ſacrilegium eſt, tunc ſacrilegium ſimul eſſet & adulterium. Plures ſunt (mihi crede) caſtitatis ſtudioſi, quã impuri quidam ſibi perſuadent, aliorum conſcientiam ex ſua metientes. Etſi in his prouincijs vbi hæreſes vigent, vineam Domini, aper de ſylua deuaſtauit: in Eccleſijs tamen, vbi adhuc floret Catholica fides, magna eſt caſtiſſimorum Sacerdotum multitudo.

Poſtremò, vt antiqua eſt, & Apoſtolica lex cælibatus: Sic vetus eſt inter Apoſtatas præſertim eius præuaricatio: nec tamen tot retrò ſæculis inter tot Pontifices & Concilia fuit aliquis Canon editus, qui eam legẽ antiquauerit, ſaltem in Occidente: quamuis rariſſimè, propter grauiſſimas cauſas vnus aliquis lege ſolutus fuerit. Iudicio ergo Eccleſiæ, quam Chriſtus iuſſit audiri, ſtemus potiùs, quàm

quàm horum vel illorum hominū: quicunq; tandem illi ſint. Nam & hi ſæpenumerò ſuum errorem agnoſcunt, & alios, ne in eundem impingant lapidem, ſeriò monere ſolent.

Sententia Aeneæ Siluij, de Cælibatu, fuit ille poſtea Pontifex Pius 2.

Ita contigit Aeneæ Syluio, qui cū aliquando, dum eſſet Poëta, dixiſſet (vt quidam volunt) non aūt ſcripſiſſet: *Magna ratione olim inductum fuiſſe cælibatum, nunc verò videri maiori ratione tollendum:* poſtea tamen reuocauit

Epiſt. 131.

& dixit: *Non errare modernam Eccleſiā, quæ Sacerdotibus vxores ſubtrahit, propter quod magis merentur.* Et alibi: *Quid*

Epiſt. 106.

eſt mulier niſi iuuentutis expilatrix, ſenum mors, virorum rapina, patrimonij deuoratrix, honoris pernities, ianua mortis,

Ad Colonien.

pabulum Diaboli, inferni ſupplicium? Et in epiſtola retractatoria (quidam eā trecenteſimam nonageſimamquintam faciunt, quam Baſilienſes omiſerunt, in eius operū volumine primæ editionis, neſcio quo conſilio, edidit autem Surius) hæc habet verba

4. Tom. Conciliorum.

Quæ ſcripſimus olim iuuenes contemnite, ô mortales, atque reſpuite. Sequimini

quæ nunc dicimus, & ſeni magis, quàm iuueni credite, nec priuatum hominem pluris facite, quàm Pontificem: Æneam reijcite Pium ſuſcipite: illud gentile nomen parentes indiderunt naſcenti, hoc Chriſtianum in Apoſtolatu ſuſcepimus. Atque hactenus de Continentia, iam de Abſtinentia ſubiungamus.

LAVS DEO.

DOCTRINA CATHOLICA, DE IEIVNIO ET CIBORVM DELECTV, EOdem Authore.

AD LECTOREM.

TEMPORIBVS *his nouiſſimis, Candide Lector, quantum à maiorum noſtrorum pijs moribus degenerauerimus, obſcurum eſſe non poteſt his, qui veteres Canones, & Sanctorum hiſtorias aliquando legerunt. Sed ſi qua in re diſciplina Eccleſiaſtica laxata & lapſa eſt, id maximè in ieiuniorum ratione videre licet, ac ex huius lectione libelli ſatis animaduertetur. Sanè pia mater Eccleſia, imbecillitati noſtræ ſe accommodat, cuius proindè pietatem commendare debemus. Verùm quãtumuis indulgeat, non audimus tamen, nec ſequimur illam Ducem atque Magiſtram; eoq; minus apud Chriſtum ſponſum excuſabiles erimus, qui à ieiunijs, multò nunc quidem mitioribus, quàm Apoſtolicis temporibus fuiſſe ſcriptum eſt, tantopere abhorremus. Ad veterem & Apoſtolicam Eccleſiam plerique omnes prouocant, ſed huius ieiunia*

ſtata

ſtata & ſolennia, vel non probant, vel ne per ſomnium quidem ſequuntur. Voluptatis amor, vētriſq́ue ſtudium, permultos tranſuerſos agit, quò minùs Eccleſiæ primitiuæ in corpore caſtigando rigorem at feruorem ſedulò imitentur. Cæterùm, qui de communi Eccleſiæ ſenſu atq; conſenſu ambigūt, æquis animis expendant, quæſò, teſtimonia, quæ bona fide ex Patribus hîc repetimus; ſic apertè colliget, quiſquis eſt veritatis amās, eos turpiter & falli & fallere, qui vulgò iactant; ieiunia non, niſi ſuperſtitioſorum Pontificum, nouas adinuentiones eſſe: tum illud intelliget, Hæreticos iamolim habitos & damnatos fuiſſe qui diuina & Apoſtolica ieiuniorum inſtituta conuellunt, & abrogāt. Nos, vt paucis multa complecteremur, Methodum ſecuti ſumus, à ieiunij definitiōe, & inſtitutione rem omnem auſpicati. Deinde viſum eſt de Quadrageſima, de ieiunio Quatuor temporum, ac reliquis, quæ in diſputationem huius argumenti ſolent incidere, in medium ſpeciatim adferre. Demum proponemus de his, qui legibus ieiunij præſcriptis aut non tenentur, aut illis nolunt adſtringi. Tu rem accipe, ac noſtris conatibus faue.

Methodus huius tractationis.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Ieiunium?

QVoniam à definitione, iuxta methodi leges, eſt ordiendum; id ante omnia conſtituamus decet; Omne quidem Ieiunium abſtinentiam quandam eſſe, non autem abſtinentiam ieiunium dici & cenſeri oportere. Nam Chriſtus Dominus, idemq; virtutum omnium abſolutus Magiſter, quadraginta diebus & noctibus legitur ieiunaſſe; cùm interim totis triginta tribus annis, quibus cum hominibus cõuerſatus eſt, temperantiam, vt & cæteras virtutes omnes, vt alius quidem nullus, maximè coluerit. quamuis Dominum aliàs ſæpè ieiunaſſe, negandum non eſt. Vnde & Phariſæi non quæſierunt: quare tu non ieiunas? ſed: quare diſcipuli tui non ieiunant?

Nõ omnis abſtinẽtia eſt ieiuniũ

Matth. 9.

Eſt igitur ieiuniũ, abſtinentia quædam arctior, quâ homo ab omnibus cibis, aut ſaltem à quibuſdam lautioribus

Definitio Ieiunij.

oribus

oribus ſe abſtinet, quâ & ſemel duntaxat in die, nempè poſt conſuetam prandiorum horam corpus reficit. Hæc ieiunij ratio, ſi diligẽter rem omnem expendamus, verbo Dei & priſcorum Patrum exemplis, ac vtriuſque teſtamenti ſententijs pulchrè reſpondet. Ab omnibus cibis aſtinuit Eſther illa nobilis, ac abſtinendum præcepit: *Non comedetis*, inquit, *& non bibetis tribus diebus, & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo.* A quibuſdam lautioribus abſtinuit Daniel, quanuis adoleſcens. Sic enim ipſe loquitur Danielis 10. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabibilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, ſed neque vnguento vnctus ſum, donec complerentur trium hebdomadarum dies.* Semel tantùm, idque ſub veſperam ſumpsêre cibum Iſrahelitæ; de quibus Iudicum 20. dicitur: *Venerunt omnes filij Iſraël in domum D E I, & ſedentes flebant coram Domino, ieiunaue-*

A cibis quibuſdã lautioribus abſtinendum eſt in ieiunio.

runtque die illo vſque ad veſperam. Nec aliter Dauid cum ſocijs ſuis ieiuniũ obſeruauit, 2. Reg. 1. Nihil comediſſe referuntur & illi, quibus in naui

Acto. 27. Paulus ait: *Quartadecima die hodie expectantes, ieiuni permanẽtis, nihil accipientes.*

A lautioribus abſtinere cõſulebat idem, Rom. 14. Bonum eſſe, ſcribẽs, non manducare carnes, neque bibere vinum. Quem delectum, dubium non eſt, ieiunantibus maximè conuenire, ſiue ipſum Apoſtolus, ad euitandum fratris offendiculum; ſiue ad corporis caſtigationem, laudauerit. Nam &, quod ibi habetur: *Alius iudicat diem inter diem*, Ambroſius ſic expoſuit: *Hoc eſt, alicui placet interpoſitis edere: nam ſunt quidam, qui quarta feria carnem non edendam ſtatuerunt; ſunt qui Sabbathis, ſunt iterum, qui à Paſcha ad Pentecoſten edant*. Ad veſperam

Hora ſoluendi ieiunium. refecti ſunt panibus duntaxat & piſcibus, de quibus Matth. 14. *Veſpere autem facto, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes: deſertus eſt locus, & hora iã*

præ-

præterijt, dimitte turbas, vt euntes in caſtella emant ſibi eſcas. Et alibi; *Dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.* Accedit ſanctorum Patrum conſenſus. Primos etenim Chriſtianos Alexãdriæ ieiunaſſe, ſemel tantùm ad veſperam tenuiſſimo victu reficiẽtes, tradit Philo libro de vita contemplatiua. Concilium Laodicænum Canone 50. iubet totam Quadrageſimam ieiunare, & cibis abſtinentiæ conuenientibus, id eſt, aridioribus vti; quod Ξηροφαγίαν vocant. Id maximè conuenit Euangelio docenti, Sathanam in locis aridis requiem nõ habere; & Iob affirmanti: Ipſum in locis humentibus habitare.

Matth. 15.

Matth. 12.

Iob 40.

Horam refectionis pro ieiunantibus deſignant Athanaſius: de Virginitate; & Epiphanius contra Meſſarianos, horam nonam; id eſt, tertiã ferè poſt meridiem. Chryſoſtomus Homilia de ieiunio, ieiunantes ſemel tantùm refici teſtatur, & exemplo Danielis, à vino & carnibus abſtinere. Et Auguſtinus lib. de Mori-

De hora refectionis tribus circiter horis poſt meridiem.

bus Eccleſiæ Catholicæ, cap. 33. id vſitatiſſimum eſſe dicit in Eccleſia, vt ieiunantes, ſemel tantùm, atque adeò circa noctem reficiantur. Conſonat Baſilius Sermone primo, de ieiunio, aut ſemel, aut nunquam per diē cibum ſumere confirmans, eos, qui ieiunant. Eãdem ſententiam ſequitur D. Hieronymus ad Paulinum.

Semel tantùm in die cibum ſumebant ieiunantes.

CAPVT II.

De multiplici Ieiunio.

MVltiplex eſſe Ieiunium, indicat antiquus verſiculus:

Abſtinet æger, egens, cupidus, gula, ſimia, virtus.

Sex ieiunādi cauſæ.

Quo ſex ieiuniorum cauſas, Maiores noſtri complexi ſunt. Aegritudinem ſcilicet, egeſtatem, auaritiam, gulam, hypocriſim, & virtutis ſtudium. Aegroti ſiquidem interdū propter ἀνορεξίαν, interdum ob recuperādam valetudinē ex præſcripto Medicorum ieiunant. Ieiunant etiam Pauperes, mēdici, vel inuiti, propter rerum

rerum inopiam. Ieiunant & Auari, qui, vt ſumptibus parcant, geniũ defraudant. Contra verò Origenes Homil. 10. in Leuiticum teſtis eſt, in quodam libello ab Apoſtolis dictũ: Beatus eſt, qui etiam ieiunat pro eo, vt alat pauperem; huius ieiunium valdè acceptum eſt apud DEVM. Id magis mirandum videtur, quòd gulæ ac ventri dediti, ieiunare aliquando dicantur, quod tamen ipſi facere conſueuerunt, vt ſe cibo ac potu magis replere poſſint. Nam, vt inquit ille; *Ingenioſa gula eſt*, & iuxta prouerbium; *Optimum condimentum fames.*

Hypocritarum ieiunium exterminantium facies ſuas ad ſanctitatis opinionem & popularem gloriam aucupandam, Dominus notauit in Euangelio: & ſtatim ſubiunxit, Matth. 6. quodnam eſſet pium ieiunium, & ex virtutis ſtudio profectũ; de quo alio loco poſtea cõmodiùs agemus. Tropicum ieiunium eſt, ieiunare à Varia ieiunia. peccatis, quod cum Chriſtiano ieiunio

Eſa. 58. ſemper coniungi debet, de quo Eſaias: *Nónne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? Diſſolue colligationes impietatis, &c.*

Rurſum vulgata eſt diuiſio: Aliud eſſe ieiunium naturę, aliud Eccleſię. Et naturæ quidem, prorſus nihil ſumere: Eccleſię verò, ad pręſcriptum ſanctæ Eccleſiæ abſtinere. Eſt & ieiunium quoddam Philoſophicum: quo nihil aliud quæritur, quàm vt liberiùs rerum naturalium contemplationi vacetur. Quale Pythagoræ & Anacharſidi tribuitur. Sunt miraculis plena ieiunia ſanctorũ quorundam Patrum, in quibus & ſanctorum pietas & Dei omnipotentia eluceſcit: etſi quidam ea, vt & reliqua Eccleſiæ miracula, fabuloſa eſſe mentiantur. Eſt ieiunium Paganorum, Iudæorum, Machometanorum & Hæreticorum quorundam vêterum. Eſt & ieiuniũ Chriſtianorum. Itẽ eſt ieiunium lætitię;
Acto. 20. vt quando Paulus in Actis, dum totus eſt intentus diſputationi de rebus

bus diuinis, cibi non meminit, etiam die Dominico. Eſt ieiunium luctus, quo quis caſtigat corpus ſuum & in ſeruitutem redigit. Eſt prætereà ieiunium aliud commune; aliud ſingulare; quoddā liberum, quoddam vi præcepti obligans. Eſt quoddam ieiunium quotidianum, non præuenire horam prandij. Ieiunium quauis hebdomade recurrens, abſtinentia Sabbathi & ſextæ feriæ. Ieiunium in ſingulos ferè menſes incidens, vt vigiliæ maiorum feſtorū. Ieiunium tertij cuiuſque menſis, id eſt, ieiuniū Quatuor temporum; ieiunium anniuerſarium, ieiunium ſcilicet Quadrageſimæ.

Eſt denique ieiunium temporis legis naturæ, vt Moyſis ad impetrādum Decalogum. Ieiunium temporis legis ſcriptæ, vt Eliæ Prophetæ: & ieiunium Euangelicum, vt Chriſti Domini.

CAPVT III.

Quòd nunquã licuit Fidelibus, omnib⁹ cibis veſci ſine delectu.

VIdimus, delectum ciborum ad rationē ieiunij pertinere: quod vſqueadeò verum eſt, vt in Eccleſia Dei iam indeà conditis hominibus vſque ad nos; in quos fines ſæculorum deuenerūt; fuerit ſemper in vſu aliquis ciborum delectus, nec vnquam licuerit fidelibus, ſine delectu omnibus veſci. Non quidem, quòd aliquis cibus, naturâ ſua ſit immundus; cùm omnis creatura bona ſit, quam Deus creauit ad percipiendū cum gratiarūactione; ſed alio tēpore, propter alias cauſas, & Dominus Deus, & Eccleſia ei⁹ quoſdā cibos ꝓhibuerūt. Sic Deus primis parētibus noſtris alimētū ex herbis & fructib⁹ terre p̄ſcripſit. *Ecce dedi vobis*, inquit, *omnē herbā adferentē ſemen ſuper terrā, & vniuerſa ligna, q̄ habēt in ſemetipſis ſementē generis ſui, vt ſint vobis in eſcam.* Tranſactiq; ſunt multi annorū centenarij,

Gen. 1. Delectus ciborū tempore legis naturæ.

tenarij;totũ videlicet tẽpus ante diluuiũ,quo genus humanũ nec eſum carniũ nouit,nec vini potum,donec primũ poſt diluuiũ, Noë vinũ inuenit,& Deus carniũ eſum hominibus indulſit,Geneſ.9.ſed nec oẽs fructus primis parentibus cõceſſi ſunt; verũ ad exercendã eorũ obedientiã præceptũ additũ eſt: *Ex omni ligno paradiſi comede,de ligno aũt ſcientiæ boni & mali ne comedas;in quocunq; enim die comederis ex eo,morte morieris.* Hoc præceptũ cũ Protoplaſti violaſſent;factum eſt,vt quanuis ꝙ intrat per os, nõ coinquinat hominẽ,inobedientia tamen, q̃ proceſſit ex corde,& primos parentes graui crimini obnoxios fecerit, & totũ ꝑtereà genus humanũ Originali peccato infecerit. Poſt diluuiũ etiã nõ ita conceſſa ſunt animalia in cibũ, quin aliquid fuerit prohibitũ. Sic enim habet verbũ Dei Geneſ. 9. *Omne ꝙ mouetur & viuit erit vobis in cibũ:quaſi olera virẽtia tradidi vobis omnia, excepto,ꝙ carnẽ cũ ſanguine nõ comedetis.* Et hęc quidẽ lex manſit vſq; ad tem

Nõ quod intrat per os,ſed inobedientia quæ procedit ex corde coinquinat.

pus

Delectus ciborū tempore legis Moſaicæ. pus legis Moſaicæ, quæ tametſi ex herbis nihil prohibuerit; Propter quod & Paulus Rom. 14. *Qui autē*, inquit, *infirmus eſt, olus manducet*: multorum tamen animalium carnes comedi vetuit, in figuram multorum peccatorum, à quibus prorſus abſtinere debemus. Quæ lex Moſaica, tam rigidè ſeruata eſt, tantaq; cum laude: vt Machabæos inter ſanctos Martyres colat Eccleſia Chriſt, eosque ſibi, ex toto Sanctorum veteris teſtamenti Catalogo, teſte Bernardo, nominatim venerādos delegerit; quòd

Epiſt. 98. immania ſupplicia, ipſamq; mortē ſubire voluerint potiùs, quā ſuillas cōtra legis preſcriptum deguſtare.

Immò Chriſtus Dominus, nuſquam legitur aliquid ediſſe, contra

Delectus ciborum in Euangelio Moſaica præcepta; vtpote, qui legē non venerat ſoluere, ſed implere: & cùm Dominum aut eius Apoſtolos, aliquid comediſſe Euangelium cō-

Matth. 14. Luc. 24. Matth. 12. memorat; nunquā aliud profert, niſi panē piſciculos, ſauū mellis ſpicas: nuſquam verò carnes nominantur: quam-

quamuis non ſemper ab eis abſtinuiſſe probabile ſit. Vltimam cœnam excipio, in qua Dominum cum diſcipulis ſuis, Paſchalem agnum, non tam refectiònis, quàm myſterij gratia, manducaſſe nouimus. Nā quod diſcipulis aliquando dixit: *In eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos ſunt:* tunc dixit, quando eos ad prædicandum per Iudæam mittebat, in qua Iudæa, ſuperſtitiosè dicam potiùs, quàm perfectè ciborū delectus ſeruabatur. Interim tamen ſeuerè prohibuit, ne illo tempore in viam gentium, aut in ciuitates Samaritanorum, id eſt, Hæreticorum, diuerterent; ad quas ſi diuertendum illis fuiſſet, proculdubiò prohibuiſſet, ne idolothyta deguſtarēt. Quod ſancti Apoſtoli, Actorum 15. poſteà diſertè monuerunt. Prætereà in veteri teſtamento filij Rechab, & Nazaræi; in nouo teſtamento & hiſtorijs Eccleſiaſticis, Iohannes Baptiſta, & Iacobus frater Domini, inter alia, ex eo etiam commendātur,

De verbis Domini: *Edentes & bibētes, quæ apud illos ſunt.*

Hier. 35. Num. 6.

Luc. 1. Aegeſipp. 5. lib. Com.

quòd

quod vinum & ſiceram nō biberēt.
Acto. 20. Iam verò D. Petrus in Actis Apoſtolorum, poſt Domini aſcenſionem, cùm linteo quodam typico, in quo erant omnia quadrupedia & volatilia cæli, admoneretur, vt omnes gẽtes, ad Baptiſmi gratiã admitteret; myſterium tamen prima fronte nō intelligẽs, dicebat: *Abſit, Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum*; exiſtimãs ſe ad omnium animalium eſum contra legem inuitari.

Poſtquam autem ſancti Apoſtoli gentes omnes ad Chriſti gratiam vocandas eſſe intellexerunt: nihilominùs aliquem ciborum delectum
Acto. 15. præſcripſerunt his verbis: *Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quã hæc neceſſaria: vt abſtineatis vos, ab imolatis ſimulachrorũ: & ſanguine, & ſuffocato, &c.* Quem Canonem vſq; hodiè Græca obſeruat Eccleſia; quanuis Apoſtolorum non ea fuerit mens & ſententia, vt perpetuò his cibis Chriſtiani abſtinerent:
ſed

ſed vt eo modo, pax firma, & cōcordia ſolida, inter Chriſtianos ex Iudęis & Chriſtianos ex gentibus coaleſceret, donec Synagoga cum honore ſepeliretur.

Alius Apoſtolorum Canon in Orientali etiā Eccleſia hactenus obſeruatur, quo 5. libro Conſtitutionū Apoſtolicarum cap. 19. de diebus ieiuniorū hebdomadæ paſſionis ſic pręcipiunt: *A vino & carnibus vos abſtinete in his diebus. ſolo pane vtentes, ſale atq; oleribus, & aqua in potū, ſunt enim dies luctuoſi nō feſti.* Quē Canonē citat D. Epiphanius aduerſùs Aëriū, veterē hæreticū, qui Apoſtolicum hunc ciborum delectū nō admittebat, cùm tamen inter Apoſtolorum diſcipulos, conſtet Timotheū vſq; adeò à vino abſtinuiſſe, vt monitione opus habuerit, ipſius Pauli hortātis: *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere, propter ſtomachum tuū & frequentes tuas infirmitates.* Quaſi nec id quidē vinū modicū fuiſſet indulturus, niſi diſcipulus vſq; adeò Eccleſię neceſſarius frequen

A vino & carnibus olim abſtinebāt ieiunantes, & Orientalis Eccleſia hodiè.

1. Tim. 5.

frequentibus infirmitatibus laboraſſet. Vnde Theodoretus in fine libri diuinorum decretorum ſcriptũ reliquit: *A vino & carnibus non ſimiliter, vt hæreticos, Eccleſiam abſtinere.* Nicephorus etiam memoriȩ prodidit; cùm Iuſtinianus Imperator, propter annonȩ caritatem, ſecunda hebdomada Quadrageſimæ carnes vendi Conſtantinopoli iuſſiſſet: neminẽ in tanto populo inuentũ fuiſſe, qui emere voluerit. Et hæc quidem de Orientali Eccleſia dicta ſint.

Lib. 17. hiſtor. Eccleſiaſt. ca. 32.

CAPVT IIII.

De Romanæ Eccleſiȩ Decretis circa ciborum delectum.

IN Occidentali verò & Latina Eccleſia, ſanxerunt Apoſtoli Petrus & Paulus, vt ieiunantes à carne & delicijs abſtinerent, vt Teleſphorus retulit antiquiſſimus Martyr & Põtifex, proculdubiò prout ab Apoſtolis acceperat. Nam & Sophronius Hieroſolymitanus, in Homil. de certami-

Epiſtola ſua decretali.

taminibus & peregrinationibus ſan
ctorum Apoſtolorum Petri & Pau-
li, eoſdem Apoſtolos canones Eccle
ſiaſticos condidiſſe affirmat. Vnde
Irenæus Martyr & Lugdunenſis E-
piſcopus, vicinus etiam Apoſtolorũ Lib.1.ca.1.
temporibus Valentinianorum hæ-
reſim fuiſſe tradit; omni tempore
carnes liberè comedendas eſſe. Mar
tyres etiam Galliæ, cùm, ab Idolola-
tris incuſarentur, quaſi carnibus hu-
manis veſcerentur, reſpondiſſe legi-
mus: *Quomodò humanis carnibus veſcũ-* Epiſt. Ec-
tur, qui neque carnes quidem animalium cleſię Lug-
deguſtare conſueuerunt? Sed quænam dunen. &
ſunt illę deliciæ, à quibus, ſicut & à Viennen.
carnibus, Occidentales Chriſtiani, ad Aſiam
ad perdomandã concupiſcentiã ab- & Phrygi-
ſtinere ſolebãt? Teleſphorus nõ ex- am.
plicauit, vtpotè rem tum omnibus
notã: ex D. tamen Auguſtini & Hie-
ronymi monumentis, qui ferè ante
mille & ducentos annos, in Latina
Eccleſia floruerunt, poſſumus intel-
ligere. Et Auguſtinus quidẽ, primo
de moribus Eccleſię Catholicę, c.33.

diſputās, de ciborum Catholico delectu contra Manichæos ſic habet: *Multi neque veſcuntur carnibus, neque tamen eas immundas ſuperſtitioſè putant. Itaque ijdem ipſi, qui ſalui temperant, ſi ratio valetudinis cogat, ægroti, ſine vlla formidine, accipiunt. Multi vinum non bibunt, nec tamen eo ſe coinquinari arbitrantur. Nam & quibuſdam languidioribus, & prorſus omnibus, qui ſine illo nequeunt ſalutem corporis obtinere, humaniſſimè & modeſtiſſimè præberi faciunt.* Hieronymus verò ad Paulinum, Nolanum Epiſcopum ſic ſcribit: *Sit vilis & veſpertinus cibus, olera & legumina, interdumq́; piſciculos pro ſummis ducas delicijs.* Eadem idem ſanctus Doctor inculcat ad Lætam ſcribens, de inſtitutione filiæ. Clariùs tamen præcepta delectûs habentur, ex D. Gregorio, qui fuit Auguſtino & Hieronymo poſterior, & ſcribit Auguſtino Anglorum Apoſtolo de Quadrageſima, in hæc verba: *Par eſt autem, vt nos, qui his diebus à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſemen-*

Diſtin. 4. Cap. Denique.

mentinam trahunt & originem carnis ieiunemus, à lacte videlicet, caſeo & ouis. Cæterùm piſciũ eſus ita Chriſtiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis ſolatium, non luxuriæ pariat incendiũ. Deniq; qui à carne abſtinent, nequaquã ſumptuoſiora marinarum belluarum conuiuia præparent. Vinum quoque ita bibere permittimur, vt ebrietatem omninò fugiamus, alioquin reſtat, vt omnia, quæ corporibus libent ſimiliter faciamus. Conſonat Concilij Toletani 4. Can. 10. *In omnibus prædictis Quadrageſimæ diebus (quia tẽpus nõ eſt gaudij, ſed mæroris) Alleluia non decantetur. Tunc enim opus eſt, fletibus ac ieieiunijs inſiſtere, corpus cilicio & cinere induere, animum mœroribus deijcere, gaudium in triſtitiam vertere, quouſq; veniet tẽpus reſurrectionis Chriſti, quãdo oporteat iam Alleluia in lætitia canere, & mærorem in gaudium commutare. Hoc enim Eccleſiæ vniuerſalis cõſenſio in cunctis terrarum partibus roborauit, quod & à nobis omnibus vt cõſeruetur per Hiſpanias Galliciasq; prouincias oportebit.*

A lacte, caſeo & ouis in Quadrageſima abſtinebat Gregorius

In temporibus verò reliquis, id eſt, Calendis Ianuarijs, quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omninò Alleluia non decantabitur, in quibus etiam præter piſcem & olus, ſicut & in illis quadraginta diebus cæteris carnibus abſtinetur, & à quibuſdam etiam nec vinum bibitur. Hucuſq; Concilium: quod fuit celebratũ poſt Gregorium, circa tẽpora Honorij I.

CAPVT V.

Quod Ieiuniũ ſit de iure diuino.

OMnia moralium virtutũ præcepta de iure ſunt naturæ. Eſt autem ius naturæ, ius quoddam diuinum, id eſt, quod Deus naturæ cõditor cordibus noſtris inſcripſit: Cũ inter virtutes morales Temperantia non poſtremum locum obtineat; ſequitur & temperantiæ præceptum naturale, atque adeò diuinum eſſe præceptum. Non ſolùm autem naturæ lumen temperantiam præcipit, verùm etiam interdum ieiunium, quod ſublimior eſt quidã temperantiæ actus, perſuadet. Hinc eſt,

quod

quòd Niniuitæ ſola natura duce, vt iram Dei & ſubuerſionem ciuitatis auerterent quam per Ionæ prędicationē iam imminere cognouerant, ieiunium indixerunt, & in ſacco & cinere pœnitentiam egerunt. Quòd ſi quis peculiare huius diuini præcepti, de ieiunio, teſtimonium ex ſcripturis requirat, non pauca profectò inueniet. Clamat certè per Ioëlem Prophetam Deus: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu & planctu.* Et iterum: *Canite tuba in Syon, ſanctificate ieiunium.* Hoc præceptum diligenter impleuit Synagoga, ieiunauit enim quotieſcunq; magnum aliquid à Deo impetrare voluit: vt tempore Iudith & Heſter. Achab Rex, ieiunio etiam Deum placauit. *Factus eſt enim ſermo Domini, ad Heliam Thesbyten, dicens: Nonne vidiſti humilitatum Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, nō inducam malum in diebus eius.* Humiliatio verò Achab ſic deſcribitur: *Itaque cùm audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta*

Niniuitæ ſola natura duce ieiunarunt, Ionæ 3.

Ioël. 2.

3. Reg. 21.

menta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam ieiunauitq́, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. Primo etiam Regum, pręcepit Saul in bello neminē quicquam guſtare. Quod præceptū cùm per ignorationē, guſtato; melle Ionathas filius eius violaſſet, Deus reſponſum ex propitiatorio dare noluit, ſatis eo ſilentio indicans, quàm ſeuerus vltor futurus ſit in Apoſtolicorum præceptorum con-
Pſal. 168. temptores. Dauid, *Genua*, inquit, *mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea immutata eſt propter oleum.* Et alibi:
Pſal. 34. *Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo conuertetur.* Con-
Matth. 9. ſtat ex Euangelio habuiſſe Phariſæos & diſcipulos Iohannis, ſtatas ſuas ieiunationes, quibus affligebant animam ſuam. Cùm autem nihil ad perfectum adduxerit lex, vt ait Apoſtolus, factum eſt, vt imperfecta fuerint multorum eo tempore ieiunia. Quibus per Eſaiam quærentibus: *Quare ieiunauimus & non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras, & neſciſti?*

neſciſti? Reſpondit Dominus: *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.*

CAPVT VI.

De Ieiunij præceptis in Euangelio.

PRopterea Dominus, qui legem venit implere, ac perficere, primo ſtatim Sermone ſuo in monte, præceptum Euangelicum propoſuit: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, plùs quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Loquebatur autem de iuſtitia bonorum operum, vt per ieiunia, & eleemoſynas, & obſeruationem præceptorũ Dei. Voluit itaque Dominus ſub interminatione nõ intrandi alioquin in regnum cælorum, vt diſcipuli eius, omneſque adeò Chriſtiani, non ſolùm ieiunarent, ſed ieiunando etiã abundarent ſuper ieiunia Scribarũ

Matth. 5.

Dominus præcepit in Euãgelio, vt ieiunia Chriſtianorum abundarẽt ſuper ieiunia Scribarũ & Phariſæorum.

& Phariſæorum. Porrò, quo modo abundare debeant noſtra ieiunia, ſuper ieiunia Phariſæorum, non dedi-
Matth. 6. gnatus eſt idem Dominus nobis explicare, dicens: *Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut Hypocritæ, triſtes. Exterminant enim facies ſuas, vt pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperũt mercedem ſuam. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunãs, ſed patri tuo, qui eſt in abſconſo, & pater tuus, qui videt in abſconſo, reddet tibi.* Illud etiam
Matth. 7. ex eodem Sermone: *Intrate per anguſtam portã.* Et infrà; *Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam!* Chryſoſtomus de vigilijs, abſtinentia & caſtitate interpretatur. Et ſtatim ſequitur: *Attendite à falſis Prophetis*; quaſi Pſeudoprophetarũ ſit, auertere ab anguſta porta, & ieiuniorũ arcta via. Expreſſum itaq; habemus verbum Domini, ieiunandum eſſe, & alacriter ieiunandum eſſe, non ad inanem gloriam. Sed quando ieiunan.

iunandum ſit, ex ſacris literis nō ita euidēter apparet. Vnde Auguſtinus Epiſt. 86. ad Caſulanum: *Ego, inquit, in Euangelicis & Apoſtolicis literis, totoq́ inſtrumento, quod appellatur Teſtamentum nouum, animo id reuoluens, video præceptum eſſe ieiunium; quibus autē diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apoſtolorum, non inuenio definitum.* Hæc Auguſtinus. Sed quanuis id clarè non exprimitur in Euangelio, vt verè dixit Auguſtinus; non tamen omninò tacetur, vt idem ſanctus Doctor alibi docet. Nam Matt. 9. rogantibus diſcipulis Iohannis: *Quare nos & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant?* Dominus reſpondit: *Nū quid poſſunt filij ſponſi lugere, quandiù cū illis eſt ſponſus? Venient autem dies, quādo auferetur ab eis ſponſus & tunc ieiunabunt.* Ex quibus verbis intelligi poteſt, non ſolùm ieiunandum nobis eſſe, ſed etiam eo potiſſimùm tempore ieiunandum, quando ablatus eſt ſponſus. Ablatus eſt autem ſponſus

Libr. 2. ad inquiſitiones Ianuarij, cap. 15.

ſus per mortem crucis. Cùm ergo crucis Domini memoriam celebramus, ieiunãdum eſt, vt in fine Quadrageſimæ ante Paſcha, & quauis hebdomade in feria ſexta, aliquo etiam modo ieiunandum eſt. Feria enim ſexta erat, quando Dominus noſter in crucem actus, & per crucẽ ſponſus eſt ablatus, à ſanctis Apoſtolis. Quo tempore Dominus etiam ipſe, nihil aliud præter fel & acetum guſtaſſe legitur: & ſancti Apoſtoli, quaſi oues ſine paſtore, mœrentes, & diſperſi etiam ipſi ieiunarunt. Tota etiam hebdomade paſſionis Dominus ieiunauit, diebus enim docebat in templo, noctibus autem, cùm in Hieruſalẽ domum non haberet, redibat in Bethaniam, & in monte Olineti pernoctabat in orationibus. Sic locum illum Matthæi, Apoſtoli explicarunt libro quinto Conſti. Apoſtolicarum, Cap. 19.

In Paraſceue ſeu feria ſexta ieiunãdũ eſt aliquo modo: quòd eo tempore ablatus eſt ſpõſus, id eſt, crucifixus Dominus.

Paraſceuen, aiunt, *& Sabbatum integrum ieiunent, qui quidem poſſunt nihil guſtan-*

guſtantes vſque ad Galli cantum noctis. Quòd ſi quis non poteſt duorum dierum ieiunium continuare, ſeruet ſaltem Sabbatum. Ait enim quodam in loco de ſe Dominus: Quando diſcedet ab eis ſponſus, ieiunabunt in illis diebus. Ijs igitur diebus ſublatus eſt à falſis Iudæis, & crucifixus eſt, & cum impijs reputatus. Et capite ſequenti: *Quare monemus vos, vt ieiunetis per hos dies, quemadmodum nos etiam ieiunauimus, cùm nobis ipſe ereptus eſt, vſque ad veſperam.* Hactenus ex Conſtitutionibus Apoſtolicis. Et Auguſtinus, qui alibi tempus ieiunandi non exprimi, dixerat, in nouo teſtamento: ad inquiſitiones tamen Ianuarij, Libr. 2. cap. 15. Epiſt. 86. *Quadrageſima ſanè,* inquit, *ieiuniorum habet authoritatem, & in veteribus libris ex ieiunio Moyſi & Heliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonſtrans Euangelium non diſſentire à lege & Prophetis. In perſona quippe Moyſi lex, in perſona Eliæ, Prophetæ, accipiuntur.* Et infrà: *In qua*

ergo

ergo parte anni congruentiùs obſeruatio Quadrageſimæ conſtitueretur, niſi confinis atq; contigua Dominicæ paſsioni? Hęc Auguſtinus. Quaſi diceret: Qua parte anni cõgruentiùs conſtitueretur ieiunium, niſi confine tempori, quo ablatus eſt ſponſus? Sanctus etiã Maximus, aut, ſecundùm alios, Ambro-

Ambroſ. Ser. 36. ſius: *Sacrum,* inquit, *literarum exempla protulimus, quibus approbam⁹, hunc Quadragenarium numerum, non eſſe ab hominibus conſtitutum, ſed diuinitùs conſecratum. nec terrena cogitatione initiatũ, ſed cœleſti maieſtate præceptum.* Et paulò pòſt: *Hæc autem non tam Sacerdotũ præcepta, quàm Dei ſunt, atq; ideò, qui ea ſpernit, non Sacerdotem ſpernit, ſed Chriſtum, qui in ſuo loquitur Sacerdote.* Verumenimuerò poſtquam in Quadrageſimæ mentionẽ incidimus, agedum de Quadrageſimæ origene & neceſſitate pauca ſubijciamus.

CAPVT VII.

De Quadrageſima.

QVadrageſimam vocamus, quadraginta dierum ieiuniũ, quod

primus

primus omnium Moyſes, nõ ſemel abſoluiſſe legitur. Et primùm quidẽ Exod. 34. *Ingreſſus Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Iterum verò idẽ præſtitit, Exod. 34. *Vbi fuit cum Domino Moyſes quadraginta dies, & quadraginta noctes, panem non comedit, & aquã nõ bibit.* Exod. 34.

Fuit aũt Moyſes per id tẽporis, ait Rupertus, cibi potusq́; omnis expers, diuina tantũ ſuſtentatus virtute. Quod, nec in Elia ieiunante ſimiliter ſcriptura tacuit, quòd nõ hoc de hominis poſſibilitate habitũ, ſed de virtute Dei pro munere ſumptum eſt. Vbi enim illum Angelus Domini ſecundò tetigit dicens: *Surge & comede;* Poſtquã comedit & bibit, ſtatim ſubiunctum eſt: *Et ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Niniuitæ, Moyſes, Helias, & Dominus ieiunarũt 40. diebus.

Quibus duobus exẽplis, ait idem Rupertus alio loco, *vtiliter ſatis prouidit diuinitas quatenus idoneum haberet teſtimonium Chriſti humanitas. Hoc enim ieiunium quo per tot dies nihil ad refectionem* 1. Timot. 4.

nem ſumitur, ſupra naturam hominis eſt: & idcircò hæretica prauitas, quæ illum nō verè ſed in phantaſmate hominem apparuiſſe contendit, tam diuturnum ieiunium, in ſuæ veſaniæ patrocinium procaciter arripuit. Vtiliter ergo nobis diuinitas prouidit, vt duos teſtes veritatis, ieiunantis hominis Chriſti humanitas obtineret: alterum ſcilicet ex Lege, alterum ex Prophetis. Immò ſi libet, dicimus, quia non duos tantùm, ſed & tres habuit teſtes in hoc negocio, hic DEVS & homo verus, Saluator noſter. Vnus enim Moyſes, ſecundò ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Igitur in ore non tantùm duorum, ſed etiam trium ſtabit, & hoc verbum. Hæc Rupertus.

Ieiunarunt & Niniuitę natura ipſa docente, vt ſuperiùs dictum eſt, quadraginta diebus & quadraginta noctibus: quamuis non ita rigidè vt Moyſes & Helias. Vnde Hieronymus in Ionam: *Quadragenarius,* inquit, *numerus cōuenit peccatoribus, & ieiunio & orationi, & ſacco, & lachrymis, & perſeuerantiæ deprecandi: Ob q̄ & Moyſes qua-*

ſes quadraginta diebus ieiunauit in monte Syna, & Helias fugiens Iezabel, & DEI deſuper ira pendente quadraginta dies ieiunaſſe ſcribitur. Ipſe quoque Dominus verus Ionas miſſus ad prædicationem mundi, ieiunauit quadraginta dies, & hæreditatem nobis ieiunij derelinquẽs, ad eſum corporis ſui, ſub hoc numero noſtras animas præparat.

Celebratur hic myſticus numerus quadragenarius paſſim in ſcripturis ſanctis. Vnde Hieronymus in Ezechielem: *Numerus quadragenarius ſemper afflictionis & pœnitentiæ eſt. Vnde & Moyſes & Helias, & ipſe Saluator quadraginta diebus ieiunauerunt, & noctibus: & per quadraginta annos populus erat in ſolitudine, vt poſtea circumciſus in Galgalis opprobrio & ignominia Ægypti liberetur. In cuius numeri Sacramento, & hic idem Propheta Ezechiel, pro tribu Iuda quadraginta diebus dormit in dextro latere: & quadringẽtis annis, populus ſeruiturus in Ægypto nũciatur, qui faciũt quadraginta decadas* Numerus quadragenarius eſt myſticus.

ſiue

ſiue quatuor ἑξατοντάδας. *Pluuiæ quoq; diluuij quadraginta diebus inferũt orbi naufragium. Iuſtum enim erat, vt, qui per quatuor elementa mundi, quibus omnia conſtare dicuntur, dũ ea diligit & fouet, Deũ offenderat, in ipſo numero puniretur.* In eãdem formam diſſerit Ambroſius Luc. 4. *Quadraginta autem dies, myſticũ numerum recognoſcis: tot enim diebus aquas abyſſi effuſas eſſe meminiſti, & tot ieiunio dierum ſanctificato, Propheta refuſam cæli ſerenioris eſſe clementiam: tot ieiunio dierum S. Moyſes perceptionem legis emeruit: tot annos in heremo conſtituti Patres panem Angelorum, & cæleſtis alimoniæ gratiam conſecuti ſunt: nec antequam myſtici numeri tempus explerent, terram promiſſionis intrare meruerunt: tot ieiunio dierum Domini nobis in Euangelium pateſcit ingreſſus. Vnde ſi quis Euangelij gloriam, fructumq; reſurrectionis optat adipiſci, myſtici ieiunij præuaricator eſſe nõ debet. quod & in lege Moyſes, & in Euangelio ſuo Chriſtus, vtriusq; teſtamenti authoritate præſcripſit, fidele virtutis eſſe certamen.* Caſſianus etiam vetus au-

Collatione 21.

thor,

thor, in collationibus Patrum, ait: *Tempus hoc, quo anniuerſariæ dierum noſtrorum decimæ Deo tribuuntur, Quadrageſimæ nomen accepit: quod fortaſſe vel hoc viſum ſit, hoc vocabulo debere cenſeri, quòd Moyſes vel Helias, vel ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quadraginta diebus ieiunaſſe traduntur. Ad cuius numeri Sacramentum, illi quoque quadraginta anni, quibus Iſraël eſt in ſolitudine cõmoratus, & quadraginta ſcilicet manſiones, quibus eam myſticè pertranſiſſe ſcribitur, non incongruè coaptantur. Ad hæc Eccleſia hymnum publicè decantat, vbi hæc eadem commemorat in hunc modum:*

Ex more docti myſtico
Seruemus hoc ieiunium
Deno dierum circulo
Ducto quater notiſſimo.
Lex & Prophetæ primitus
Hoc prætulerunt, poſtmodum.
Chriſtus ſacrauit omnium
Rex atq; factor temporum. &c.

Porrò illud miraculũ, quod Deus olim Moyſi & Heliæ conceſſit, vt

quadraginta dies, ſine vllo cibo trāſi gerent, Patribus etiā noui teſtamenti non negauit. Nam Theodoretus in libro, quem inſcripſit Philotheū, in vita Simeonis alterius, ſerui Dei, refert ipſum Moyſis & Heliæ, diuinorum virorum exemplo quadraginta dies ſic ieiunaſſe, vt poſt eos ſacram communionem, & poſtea lactucas atque alia eiuſmodi ægrè in cibum admiſerit. Id ipſum ter præſtitiſſe commemorat Maranam & Cyram ſanctas mulieres, earum vitam deſcribens. Sed omiſſis his, quæ miraculo facta ſunt, qualis olim Chriſtianis fuerit conſueta Quadrageſimæ obſeruatio, videamus.

Quidam Patres Noui teſtamēti 40. dies, ſine vllo cibo trāſegerunt.

Magna fuit Chriſtianorum varietas in obſeruatione Quadrageſimę, iam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ, prout vnaquæq; natio, à ſuis primis prædicatoribus fuit inſtituta, & prout quiſque magis vel minùs, traditionum Apoſtolicarum erat peritus. Varietatem illam ex venerabili Beda, libro, de officijs Eccleſiaſticis anno-

Varia Quadrageſimæ obſeruatio.

annotabimus. Fuit ſiquidem is, vir rerum eccleſiaſticarũ peritiſſimus & obſeruantiſſimus.

Quidam igitur ieiunium ſuum à Septuageſima inchoarunt quam fuiſſe Polonis conſuetudinem, refert Cromerus in Hiſtoria Polonica: & meritò. Incipit enim iamtum Eccleſia lugubres cantus; &, omiſſo Alleluia, pœnitentis lamenta incipit reſonare. Dicta eſt autem Septuageſima, quòd totidem dies numerẽtur vſque ad octauam Paſchæ. quo tempore primùm Neophyti veſtes albas deponebãt. Nihilominùs ſi quis in hebdomade quauis, die Dominico, & feria quinta, iuxta veterem Melchiadis Canonem, non ieiunet: cùm tota hebdomade Paſchæ nullũ ieiunium celebretur, quinque verò abſtinentiæ dies, hebdomada paſſionis iure ſuo ſibi vendicet, præter hos manent tantùm quadraginta dies ieiunandi; qui nomẽ quadrageſimæ vtcunq; tueri poſſunt.

Septuageſima.

S. Damaſus in vita Melchiadis.

Idem Venerabilis Beda Græcos

Sexageſima. ieiunium ſuum à Sexageſima exordiri aſſerit. Sed hi cùm Dominicis & Sabbatis non ieiunent, vt olim Apoſtoli ante ſepultam ſynagogam fieri voluerunt: ſuperſunt duntaxat quadraginta dies ieiunij, ſed Sexageſima dicitur, quòd ſexaginta dies ab illa, vſq; ad finem Paſchæ, numerare licet.

Quinquageſima. Alij à Quinquageſima ieiunia ſua incipiũt, vt hactenus multi religioſi & Eccleſiaſtici viri, iuxta Canonem ſancti Teleſphori obſeruant. In Epiſt. Decretali. Sed ſublatis diebus Dominicis, quibus nunquam Eccleſia ieiunauit, quadraginta duo ſuperſunt dies ieiunio conſecrati: & duo tantùm ſunt dies quibus hoc anni tempore abundat eorum ieiuniũ, ſuper ieiunium reliquorum Chriſtianorum. Et tamen Quinquageſimam vocamus illam Dominicam, quòd quinquaginta computentur dies ab illa vſque ad ſanctum Paſcha.

CAP.

CAPVT VIII.

De obſeruatione Quadrageſimæ in Romana Eccleſia.

ROmanæ verò Eccleſiæ ſemper cōſuetudo fuit, vt à feria quarta Cinerum, vſq; ad Paſchales dies Quadrageſimæ ieiunium celebraretur. In eo ſiquidē temporis ſpacio, exceptis Dominicis quadragenarius numerus ieiunio relinquitur. Vnde conſtat, verum non eſſe, quod quidam exiſtimarunt, D. Gregoriū quatuor dies illos ieiunij, ante primam Quadrageſimæ Dominicam addidiſſe. Extant ſiquidē Diui Augu ſtini, multò Gregorio antiquioris, Sermones in feria quarta Cinerum, & tribus diebus ſequētibus, horum Sermonum primus, hāc inſcriptionem habet: *Feria quarta in capite ieiunij Sermo primus.* Idem Sermo incipit in hæc verba: *Ecce fratres chariſſimi Deo propitio, tēpus Quadrageſimæ venit, &c.* Et Sermone primo feriæ quintæ, poſt cineres, exhortatur ad pœniten-

De Conſ. Diſt. 5. Ca. Quadrageſima.

nitentiam & confeſſionem his verbis: *Ergo vos, dilectiſſimi fratres, hortor atque commoneo, vt ſi quis ex vobis conſcius criminum, indignum ſe communione Eccleſiaſtica putat, dignum ſe eſſe faciat. Dicitis: Quomodò aliquis dignum ſe facere poſsit? Quomodò? Niſi vt errores priſtinos relinquat, & pœnitentiam petat: vt qui criminum ſuorum ſorde pollutus eſt, exomologeſis ſatisfactione mundetur.* Et Sermone primo Sabbati proximè ſequentis: *Rogo,* ait, *vos, fratres chariſsimi, & admoneo, vt in iſto legitimo & ſacratiſsimo tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præſumat: niſi fortè ille, quem ieiunare infirmitas non permittit: quia alijs diebus ieiunare, remedium eſt aut præmium, in Quadrageſima non ieiunare, peccatum eſt. Alio tempore, qui ieiunat, accipiet indulgentiam: in Quadrageſima, qui non ieiunat, ſentiet pœnam. Et tamen, qui ieiunare non præualet, ſecretiùs ſibi ſoli, aut ſi eſt alius infirmus cum ipſo in domo ſua, præparet, quod accipiat: & illos, qui ieiunare præualent, ad prandium non inuitet, quia ſi hoc fecerit, non ſo*

Exomologeſis in Quadrageſima tempore S. Auguſtini.

In Quadrageſima nõ ieiunare, peccatum eſt.

lùm

lum DEVS, ſed etiam homines poſſunt, intelligere, illum non pro infirmitate non poſſe, ſed pro gula ieiunare non velle, &c. Cæterùm Mediolanenſes poſt primam Donminicam in Quadrageſima ieiunant, quo tempore cùm triginta ſex tantùm ſint dies ieiunandi, Quadrageſima tamen vocatur, quòd quadragenarius numerus dierum, vſque ad feriam quintam in cœna Domini, quo die pœnitentes primùm ad Eccleſiam admittebantur, à prima Quadrageſimæ Dominica computetur.

Quadrageſima Mediolanenſium.

Diſtin. 10. Ca. in Cap.

Hoc ipſum, quod Mediolanenſes, feciſſe totam Hellada, legitur in Hiſtoria Tripartita, lib. 9. cap. 38. Sex ſiquidem hebdomadas ante Paſcha, in illa prouincia ieiunari commemorat.

Quadrageſima quorundã Græcorum.

Varietatem, quæ circa Quadrageſimam aliquãdo in Gallia fuit, ſuſtulit Concilium Aurelianenſe quartum, Canone ſecundo, vbi ſic decernitur: *Hoc etiam decernimus obſeruandum, vt Quadrageſima ab omnibus*

Eccleſijs æqualiter teneatur, neque Quinquageſimam aut Sexageſimam ante Paſcha quilibet Sacerdos præſumat indicere: Sed neq; per Sabbata abſque infirmitate quiſq; ſoluat Quadrageſimale ieiunium, niſi tantùm die Dominico prandeat, quod fieri ſpecialiter Patrum ſtatuta ſanxerunt.

In Quadrageſima olim tantũ die Dominico prandebãt, qđ reliquis diebus ieiunantes ſine prãdio cenabant.

Quare quod loco iã citato Tripartita retulit, ex Socrate Romano, tres tantùm hebdomadas ante Paſcha ieiunaſſe, credendum nõ eſt homini Græco, qui Romam non viderat, & hæretico (Nouatianus enim erat Socrates, vt conſtat ex Nicephoro, lib. 6. cap. 37.) præſertim cùm ſibijpſi eodem capite contradicat: Aſſerit enim primùm, tres illas hebdomadas, exceptis Sabbatis & Dominicis, Romæ ieiunari. Et paulò pòſt, quaſi ſui oblitus teſtatur, apud Romanos omnibus Sabbatis eſſe ieiunium. niſi fortè id ſignificare voluit, quod habet Canon primus ſecundi Concilij Bracarenſis: Vt ante dies 20. Baptiſmi, ad purgationem exorciſmi concurrant Cathechumeni. Et 85.

quarti

quarti Carthaginenſis: Vt baptizati nomen ſuum dent, & diù ſub abſtinentia vini & carnium, ac manûs impoſitione, crebra examinatione, Baptiſmum percipiant. Iā cùm Baptiſmus in die Paſchæ ſolenniter eo tempore conferretur, & diebus 20. ante Baptiſmū Cathechumeni abſtinerent: hoc eſt forſan, quod Socrates dixit, de tribus hebdomadis ieiunādis, apud Romanos ante Paſcha, alioquin ex Auguſtino & Hieronymo, vtroq; ſanctæ Latinæ Eccleſiæ Doctore, & Romæ circa idem tempus verſato, conſtat, Romanos per Quadrageſimam ſeptem hebdomadas ferè, vt hodiè, ieiunaſſe. Nam quòd Irenæus Martyr ad Victorem Pontificem Romanum æquè martyrem ſcripſit, vt habet Euſebius, libro 5. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 24. quoſdā ieiunare vno die ante Paſcha, alios duobus, alios pluribus; ipſemet S. Irenæus rationē reddidit eadem epiſtola; natum hoc eſſe affirmans ex eo, quòd non ſimpliciter, quod ab

Auguſtin. in Sermonibus. Hieronymus in lib. contra Iouin.

initio traditum eſt, tenuerũt per negligentiam vel imperitiam, quod & hodiè de non paucis, heu nimiùm verè, prædicare poſſumus.

CAPVT IX.

Quòd Quadrageſima ſit ieiunãda ex præcepto Apoſtolico.

NOn cõtentus Dominus noſter Moſaico, Prophetico, & Euangelico exemplo, nos ad ſacrũ Quadrageſimæ ieiuniũ prouocaſſe, præſciens, futurum populum duræ ceruicis, qui ſub prætextu Euangelij, libertati carnis indulgeret, & expreſſum Ieiunij Quadrageſimæ præceptum exquireret: Sanctis ſuis Apoſtolis, per Spiritum ſanctum, id etiã inſpirauit, vt diſertis verbis huius abſtinentiæ præceptũ, populo Chriſtiano proponèrent. Quod vnum eſt ex illis multis, de quibus ante a-
Ioan. 16. ſcenſionem dixerat: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò:* & ex illis, de quibus Spiritum ſanctum

ctum promittens aiebat: *Paracletus Spiritus ſanctus, mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Extat autem præceptum de Quadrageſima, & inter Canones Apoſtolorum Can.63. & in Conſtitutionibus Apoſtolicis, libro quinto, cap. 13. his verbis: *Seruandum eſt à vobis ieiunium Quadrageſimæ, continens memoriam conuerſationis & legiſlationis Domini.*

Quem Canonem D. Ignatius Apoſtolorum diſcipulus ad Philippēſes ſcribens, eiſdem penè verbis retulit dicens: *Quadrageſimam nolite pro nihilo habere: imitationem enim continet DEI conuerſationis: Hebdomadam etiam paßionis nolite deſpicere.* Origenes, qui vicinus fuit tempori Apoſtolorum, Homil.10. in Leuiticum: *Habemus*, inquit, *Quadrageſimæ dies, ieiunijs conſecratos.* Idē in Iob, lib.3. *Quando ieiunamus, ô viri, abſtinemus nos, vt nō guſtemus carnes, neque vinum, neque ſuperfluas eſcas.* Chryſoſtomus Hom.1.

in

in Geneſi de Quadrageſima ſic loquitur: *Nuſquam hodiè tumultus, vel clamor, vel carnium conciſiones, vel cocorum diſcurſus: ſed omnia illa abierunt, & imitatur hæc ciuitas* (Conſtantinopolis) *honeſtam quandam, continentem & ſobriã matremfamiliàs*. Auguſtinus libr. 30. contra Fauſtum Manichæum: *Chriſtiani*, ait, *non Hæretici, ſed Catholici, edomandi corporis cauſa, non quòd eſſe illa immunda credant, non ſolùm à carnibus, verùm etiam à quibuſdã terræ fructibus abſtinẽt: vel ſemper, ſicuti pauci, vel certis diebus, atq; temporibus, ſicut per Quadrageſimam ferè omnes*. Et Sermone primo Dominicæ primæ Quadrageſimæ: *Illa eſt*, inquit, *in Quadrageſimæ diebus grandis vtilitas, quòd dum etiam à licitis abſtinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare. Qui enim abſtinemus nos à carnibus, quib⁹ alijs diebus vti licet: qui nos abſtinemus à vino, quo moderatè vti licet: qui ergo iſta vitamus, quæ aliquando licent; imprimis peccata fugiamus, quæ omninò nunquam licent*. Et de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 68.

Cap. 5.

Pro amore

Pro amore caſtigandi corporis abſtinentibus à vino vel carnibus, nihil credere meriti accreſcere, non hoc Chriſtiani, ſed Iouiniani eſt. Contra hunc Iouinianum Diuus Hieronymus integros libros ſcripſit; & aduersùs Montanũ, ad Marcellam: *Nos, ait, vnam Quadrageſimam ſecundùm traditionem Apoſtolorum ieiunamus.* Et iterum: *Per totum annum licet ieiunare; ſed aliud eſt voluntate, aliud neceſſitate munus offerre.* Theophilus Alexãdrinus libro Paſchali tertio: *Nequaquam diebus Quadrageſimæ, ſicut luxurioſi diuites ſolent, vini poculum ſuſpiremus, neq; in procinctu & prælio, vbi lãbor, & ſudor eſt neceſſarius, carnium edulio delectemur.* Et iterum: *Qui legum præcepta cuſtodiunt, ignorant vinũ in ieiunijs, carnium eſum repudiant.* D. Epiphanius, Hæreſi 75. contra Aëriũ: *In diebus Paſchatis* (dies Paſchæ vocat, hebdomadam ſanctam, id eſt, dies tranſitus Domini) *quando apud nos fiunt* χαμευνίαι, *id eſt, humi dormitiones caſtitates, afflictiones, ſiccorum eſus: ipſi* (Aëriani hęretici) *à ſummo manè obſonantur,*

Aëriani veteres hæretici in hebdomada ſancta, carneac vino ſe explebant.

ſonantur, carneque ac vino, venas ſuas explentes cacchinantur, ridentes, ac ſubſannantes eos, qui ſanctum hunc cultum hebdomatis Paſchatis perficiunt. Et in fine libri contra Hæreſes: *Quadrageſimam ante ſeptem dies ſancti Paſchatis, ſimiliter ſeruare ſolet Eccleſia, in ieiunijs perſeuerans, Dominicis verò omninò non, nec in ipſa Quadrageſima. Cæterùm per ſex dies ipſius Paſchatis (* hebdomada ſancta*) omnes populi, in ſiccorum eſu (*Ξηροφαγία*) perſeuerant, pane (inquam) & ſale & aqua tunc vtentes ad veſperam.* Sed ad Concilia veniamus.

Concilia de Ieiunio & Quadrageſima.

Nouiſſima Synodus Tridentina ſeſſ. 25. Paſtores omnes obteſtatur, vt quibuſcunq; fidelibus ſedulò cómendent, quæ ad mortificandam carnem conducunt: vt ciborum delectus, & ieiunia, quæ ſancta Romana Eccleſia ſtatuit.

Synodus in Trullo, Canone 56. *Accepimus in Armeniorum regione, & in alijs locis, in Sabbatis, & Dominicis ſanctæ Quadrageſimæ, quoſdam oua & caſeum comedere: viſum eſt ergo, vt omnis*

DEI

D E I Eccleſia, quæ eſt in vniuerſo terrarũ orbe, vnum ordinem ſequens, ieiunium perficiat: & abſtineant, ſicut ab omni eo, quod immolatur, ſic & ab ouis & caſeo, quæ quidem ſunt fructus & fœtus eorum à quibus abſtinemus. Si autem hoc non ſeruauerint: ſi ſint clerici, deponantur, ſi laici ſegregentur.

Prima Synodus Oecumenica Nicęna, in qua trecenti octodecim Patres, ex toto orbe conuenerunt, ex eorum numero, qui ſub Tyrannis egregiè pro fide Catholica decertauerant, Canone quinto vulgato meminit Quadrageſimæ his verbis: *Habeatur ſemel Concilium ante dies Quadrageſimæ, vt omnibus ſi quæ ſunt, ſimultatibus amputatis, mundum & ſolenne D E O ieiunium poſſit offerri.* Huius Concilij, tanta ſemper fuit, apud Chriſtianos omnes authoritas, vt Diuus Gregorius hoc, cum tribus ſequentibus, quaſi quatuor Euangelia ſe colere, ſcriptum reliquerit. Huius ergo Concilij authoritate contentus, conſultò prætermitto alia

alia innumera ex Concilijs præſertim Prouincialibus decreta de Quadrageſima, & de ieiunio; qualia ſunt Agathenſis Concilij Canon. 12. Libertini 32. Gangrēſis 18. & 19. & quæ ſuperiùs citauimus, Laodiceni 50. Toletani quarti 10. Aurelianenſis quarti 2. Etiam aliquid de ieiunio Quatuor temporū ſubiungā, quod ſecundùm Quadrageſimam maximè in Eccleſia ſolenne ſemper fuit.

CAPVT X.

De Ieiunio Quatuor temporū.

Figura ieiunij quatuor temporum.

VEtus Synagoga, cui omnia in figura contingebant, quatuor habuit diuerſis anni temporibus ſolennia ieiunia, de quibus Zachariæ 8. ſic habetur: *Hæc dicit Dominus exercituū: Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi, erit domui Iudæ in gaudium & lætitiam, & in ſolennitates præclaras.* Et Hieronymus ibidem: *Hebræi ieiunium quarti menſis, qui apud Latinos vocatur Iulius, die ſeptima & decima eiuſdem menſis arbitrantur:*

trantur: quando deſcendens Moyſes de monte Syna tabulas legis abiecerit, atque confregerit: & iuxta Hieremiam, muri primùm rupti ſunt ciuitatis. In quinto menſe, qui apud Latinos appellatur Auguſtus, cùm propter exploratores terræ ſanctæ ſeditio orta eſſet in populo, iuſſi ſunt montem non aſcendere: ſed per quadraginta annos longis ad terram ſanctam circuire diſpendijs, vt exceptis duobus Caleb & Ioſue, omnes in ſolitudine caderent. In hoc menſe & à Nabuchodonoſor, & multa poſt ſæcula, à Tito & Veſpaſiano templum Hieroſolymorum incenſum eſt, atq; deſtructum: capta vrbs Bethel, ad quam multa millia confugerant Iudæorum; aratum templum in ignominiam gentis oppreſſæ à Tito Annio Rufo. In ſeptimo verò, qui apud nos appellatur October, occiſus eſt Godolias, et Iudæ tribus, ac Hieruſalem reliquiæ diſſipatæ. Legamus Hieremiam. Menſe decimo, qui apud nos Ianuarius dicitur, eò quòd ianua ſit anni atque principium. Ezechiel in captiuitate poſitus, audiuit & cunctus populus captiuorum, quinto menſe têplum Exod. 32. Hier. 52. 4. Reg. 25. Hier. 39. & 41. Ezech. 33. Hier. 52.

plum eſſe ſubuerſum: Quod pleniſſimè in eodem Propheta cognoſcimus. Hæc Hieronymus. Ad hanc igitur ſimilitudinem Eccleſia Dei ab Apoſtolis inſtituta, ſemper habuit quatuor temporũ ieiunia: vt ſicut per Quadrageſimã decimas anni, ſic per quatuor temporũ ieiunia, primitias quatuor anni temporũ Domino dedicaret.

Ieiunium vernum. Epiſt. 1.

Et primum quidem eſt ieiunium vernũ, quod in ipſã incidit Quadrageſimam: Et Caliſtus antiquiſſimus Pontifex & Martyr, à Quadrageſima ſeparare tentauit: quæ ſeparatio recipitur ab Oxonienſi Concilio, Canone 5. & Moguntiaco primo, Can. 32. Cæterùm per contrariã conſuetudinẽ abolita fuit, poſteà hęc ſeparatio. Et tempore S. Leonis, ieiunium vernũ in ipſa Quadrageſima celebrabatur, vt conſtat ex eius Sermonibus

Sermone 8. de ieiunio decimi menſis.

Ieiunãdũ eſt poſt Pẽtecoſtẽ ex præcepto Apoſtolorum.

Ieiunium aũt æſtiuũ, quod poſt Pẽtecoſtes feſtum obſeruatur Apoſtolicum eſſe, liquet ex fine lib. 5. Cõſt. Apoſtolicarũ: vbi præceptũ extat Apoſto-

poſtolorum, in hebdomade poſt Pẽtecoſten ieiunandum eſſe. Porrò ieiunium autumnale Apoſtolicũ etiã eſſe, locupletiſſimus teſtis eſt Leo I. doctiſſimus & ſanctiſſimus Põtifex, qui Sermone 7. de ieiunio ſeptimi menſis, ſic cõcionatur: *Apoſtolica inſtitutio, dilectiſsimi, quæ Dominum Ieſum Chriſtum ad hoc venire in hunc mundũ nouerat, vt legẽ non ſolueret, ſed impleret, ita veteris teſtamenti ſacramẽta diſtinxit; vt quædã ex eis, ſicut erant condita, Euangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dudũ erant conſuetudinis Iudaicæ fierent obſeruantiæ Chriſtianæ.* Et infrà: *Quòd igitur, dilectiſsimi, ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationẽ animarũ corporumq́ noſtrorũ, ieiunium ſeptimi menſis aſſumimus, non legalibus nos oneribus ſubijcimus, ſed vtilitatẽ cõtinentiæ, q̃ Chriſti Euangelio ſeruit, amplectimur.*

Ieiunium autumnale eſt Apoſtolica inſtitutio.

Poſtremò ieiuniũ hybernum Apoſtolica niti authoritate, ex ſancto Luca in Actis Apoſtolorum depræhendere poſſumus: primitiuæ ſiquidem Eccleſiæ mos fuit, vt ordinationes

Ieiunium Hybernũ.

miniſtrorum Eccleſiæ menſe Decembri ſolenniter fierēt, vt notum eſt his, qui in hiſtoria Eccleſiaſtica ſunt vtcunq; verſati. Iam verò ordinationes cum ieiunijs & orationibus fuiſſe coniunctas, 13. cap. Actorū oſtenditur, vbi ſic legimus: *Miniſtrantibus autem illis Domino & ieiunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus, ſegregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq́; eis manus dimiſerunt illos*. Et cap. 14. *cùm cōſtituiſſent illis per ſingulas eccleſias Presbyteros, & oraſſent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino in quem crediderunt.*

Leo de Ieiunio quatuor temporum.

Sed præſtat, opinor, prædictū ſanctiſſimū Leonem, de Quatuor his ieiunijs diſſerentem audire. Is ergo Sermone octauo de Ieiunio decimi menſis (plurimi ſiquidem huius argumenti eodem authore Sermones extant) ita loquitur: *Huius obſeruantiæ vtilitas, dilectiſſimi, in Eccleſiaſticis eſt præcipuè conſtituta ieiunijs, quam ex doctrina ſancti Spiritus, ita per totius anni*

circu-

circulum diſtributa ſunt, vt lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus. Siquidẽ ieiunium vernum in Quadrageſima, æſtiuum in Pentecoſte: Autumnale in menſe ſeptimo: Hyemale autem in hoc, qui eſt decimus, celebramus: intelligentes diuinis nihil vacuum eſſe præceptis, & verbo Dei ad eruditionem noſtram omnia elementa ſeruire; dum per ipſius mundi cardines, quaſi per quatuor Euangelia, inceſſabili tuba diſcimus, ꝙ prædicemus & agamus. Hęc Leo. Quibꝰ ieiunia quatuor tẽporũ quatuor Euãgelijs cõparat, & ex Spiritus sãcti doctrina, verbo Dei atq; diuinis præceptis orta eſſe teſtatur. Cõcludit aũt Sermonem dicẽs: *Quarta igitur & ſexta feria ieiunemus: Sabbato autem apud beatiſsimum Apoſtolum Petrum vigilias celebremus, &c.* In quam ſententiam plures Sermones de ieiunio quatuor temporum claudere ſolet, vt hinc etiam diſcamus, quot & qui dies eſſent, quatuor anni temporibus in veteri Eccleſia ieiunio deſtinati. Ibidem etiam occurrit vigiliarum conſideratio.

Ieiunium quatuor temporũ ex doctrina S. ſpiritus.

CAPVT XI.

De Ieiunio Vigiliarum.

MAiores noſtri, noctibus ſolennia feſta pręcedentibus, in orationibus pernoctare conſueuerant, vt ſe ad imminentem ſolennitatem præpararent, iuxta verba Domini vbique peruigilia commendantis: *Vigilate*, inquit, *& orate, ne intretis in tentationem*. Solebant autem ferè vigilias ieiunijs coniungere. Sic Paulus vbicunq; ferè meminit vigiliarum, ieiunia etiam adiecit; vt 2. Corinth. 6. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus*. Et paulò inferiùs: *In laboribus, in vigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis, &c.* Et 1. Theſſal. 5. *Igitur non dormiamus, ſicut & cæteri: Sed vigilemus, & ſobrij ſimus.* Et 2. Timoth. 4. *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſobrius eſto.* Et ſanctus Petrus: *Sobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabo-*

Matth. 26.

1. Pet. 5.

diabolus, tanquam leo rugiēs circuit quærens quem deuoret.

Præceperunt etiam Apoſtoli vigilare ſimul & ieiunare, 5. Conſt. Apoſt. cap. 20. vbi de feria quinta in cœna Domini ſtatuunt: *A veſpera quinti diei, vſque ad Galli cantum, vigilantes atque in Eccleſia conuenientes, vigilate orantes & rogantes Deum, legentes in veſtra pernoctatione legem, Prophetas, & pſalmos, vſque ad Galli cantum.* Et hæc de vigilia. Ieiunium verò eiuſdem feriæ quintæ, ieiunio hebdomadæ paſſionis compræhenditur, de quo dictum iam erat, Cap. 13. *Aggredimini ſanctam Paſchæ hebdomadam.* (id eſt tranſitus Domini ſuæ paſſionis) *ieiunantes in ea omnes cum timore & tremore.* Præceptū Apoſtolicum de Vigilia.

Idipſum probat Euſebius, libro 2. Hiſtor. Eccleſiaſticæ, cap. 17. ex Philone Hæbreorum doctiſſimo, qui ſanctum Petrum vidiſſe perhibetur, & librum de vita Theoretica edidit, in quo mores Chriſtianorum, qui Alexandriæ, ſub ſancto

Marco fuerant inſtituti diligenter deſcripſit;& inter alia eorum vigilias cum ieiunijs coniunctas. Sanctus Leo, vt ſuprà viſum eſt, in Sabbatis quatuor temporum vigilias indixit. Cùm ex Innocentio primo, ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ſciamus Sabbatis ieiunādum fuiſſe, iam neceſſe non eſt, hoc loco vigilias omnes, & pridiana feſtorum ieiunia commemorare. Ea ſi quis noſſe cupit ex Concilio Salegunſtadienſi petat, Can. 10. & Oxonienſi, Can. 4. quod in Anglia celebratum eſt: vbi noſtra memoria conſuetudo laudabilis perſeuerabat, vt populus Catholicus ad templum conueniret, in orationibus & ieiunijs feſtum, quod ſequebatur expectans. In alijs verò nationibus ferè iam vſus vigiliarum eſt abolitus, niſi fortè vigiliæ natalis domini, & feriæ quintæ in Cœna Domini, & vigiliæ Paſchæ, ieiunia tamen obſeruantur ab obedientibus Eccleſiæ filijs, quamuis ad tollendas peccatorum occaſiones, nocturni conuen-

Ad tollendas peccatorũ occaſiones ab-

conuentus in deſuetudinem abierint. Sic docet author Sermonis 25. ad fratres in eremo in hæc verba: *Scitote fratres mei, quòd antiquitus patres noſtri fideles ieiunare conſueuerunt, in vigilijs magnarum ſolennitatum, vſq; ad noctem, quod laudandum erat & bonũ.* Et infrà: *Aliquod tamen eſt ieiunium deuotionis: vt ieiunare vigilia Sanctorum, Cypriani compatriotæ noſtri, & Geruaſij & Protaſij, & ſimilia. Aliud eſt ieiunium inſtitutionis: vt Aſſumptionis S. Mariæ, & Natiuitatis S. Iohannis Baptiſtæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Simonis & Iudæ, Matthæi & Andreæ, & Iacobi maioris. Iſtorum enim vigilias ieiunare ſemper debemus; vt ſicut ieiunando cum eis patimur, ita & in ſurtum cum eis pariter gloriemur.* Et adhuc inferiùs: *Sed deſtructis vigilijs illis, adhuc tamen antiquitatis nomen tenemus: quia dum ieiunamus, vigiliam nuncupamus.*

rogata ſũt vigiliæ & ieiunia ſub rogata.

CAPVT XII.

De abſtinentia Sabbati & feriæ Sextæ, per totum annum.

MAnifeſtum eſt ex Epiſtola ſancti Auguſtini 86. ad Caſſulanũ, olim totam Eccleſiam Dei, per vniuerſum terrarum orbem, duobus diebus quauis hebdomade ſeriò ieiunaſſe, feria ſcilicet quarta: quòd eo die Dominus, poteſtati Iudæorum venditus fuerit: & feria ſexta, in memoriam Dominicæ paſſionis. Fuerat & hoc in Synagoga præfiguratũ, ſicut & reliquæ ſanctæ Eccleſiæ obſeruationes. Siquidem Phariſæos bis in Sabbato, id eſt, in hebdomade
Luc. 18. ieiunaſſe, ipſum Euangelium docet. Vnde Iſidorus lib. 6. Etymologiarũ cap. vltimo: *Statio*, inquit, *eſt obſeruatio ſtatutorum dierum, vel temporum: Dierum, vt quartæ feriæ & ſextæ ieiunium, ex veteri lege præceptum. De qua ſtatione in Euangelio dixit ille: Ieiuno bis in Sabbato, id eſt, quarta & ſexta Sabbati: Temporum autem, quæ legalibus ac*

Pro-

Propheticis inſtitutionibus, terminatis temporibus ſtatuta ſunt, vt ieiunium quarti, quinti, ſeptimi & decimi menſis: ſicut in Euangelio dies illi, in quibus ablatus eſt ſponſus; vel ſicut obſeruatio Quadrageſimæ, quæ in vniuerſo orbe, inſtitutione Apoſtolica obſeruatur, circa confinium Dominicæ paſſionis. Hæc Iſidorus. Eccleſiã verò Romanã; vt vel hac etiã in parte abũdaret, ſuper iuſtitiã Ph a-ſæorũ; triduo (ait Auguſtinus vbi ſuprà) omni ſeptimana ieiunaſſe. Præter quartam enim & ſextam feriã, ieiunabat etiam diebus Sabbati, ſiue id faceret, quòd D. Petrus die quodã Dominico, cũ Simeone Mago certaturus, ſe per ieiuniũ Sabbati, ad id certamẽ præparauit, & fœlici euẽtu edoctus, Romanis idẽ lege præſcripſit, ſiue id in perpetuã cõmemorationẽ ſepulturæ Domini, & diſperſionis Apoſtolorũ fuerit inſtitutũ. Epiſt. 86.

Quæcunq; tamen fuerit ratio, dubium nõ eſt, triduanũ illud cuiuſuis hebdomadis ieiunium ab Apoſtolis initiũ habuiſſe. Nã de feria quarta & Abſtinentia feriæ quartę, ſextę & Sabbati ab Apoſtolis initiũ habuit.

ſexta,

ſexta,ſimul & de Quadrageſima Canon extat Apoſtolorum 68. his verbis: *Si quis Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus, aut Hypodiaconus, aut Lector, aut Cantor, ſacram Quadrageſimam Paſchæ, aut quartam feriam, aut Paraſceuẽ non ieiunauerit deponitor: præterquam ſi imbecillitate impediatur corporis: ſin laicus ſit, communione priuator.* Ex quibus ſequitur: Peccatum fuiſſe letale, ſi quis, cùm poſſet ieiunare, ſtatis temporibus nõ ieiunaret. Depoſitionis enim & anathematis pœna, niſi pro graui crimine, à ſanctis Apoſtolis non irrogaretur. Sabbati etiam ieiunium Apoſtolicum eſſe, compertũ eſt, ex verbis Apoſtolorum, quæ D. Epiphanius, contra Audianos retulit, *quando ipſi* (ſcilicet Iudæi, de ipſis enim ſermo præceſſerat) *conuiuantur,* (nempè in Sabbatis) *vos* (Chriſtiani videlicet) *ieiunantes pro ipſis lugete.* Vt meritò D. Hieronymus ad Lucinũ Bericum de ieiunio Sabbati ſcripſerit: *Vnaquæq; prouincia ſuo ſenſu abũdet, & inſtituta maiorum leges Apoſtolicas ar*
bitre-

bitretur. Et hæc quidem olim ſic Romæ geſta ſunt. Progreſſu verò temporis Eccleſia Romana, ſicut & reliquæ per orbem Eccleſiæ, bidui ieiunio in ſeptimana contenta fuit, id verò in feria ſexta & Sabbato ſolita eſt obſeruare: Triduum illud vetus ſolis quatuor temporum ieiunijs relinquens. Immò remiſſa in dies auſteritate, prædicto biduo, non tam rigidum ieiunium, quàm abſtinentia quædam, & ciborum delectus remanſit. quod ex verbis Gregorij ſeptimi colligitur, de Conſ. Diſt. 5. cap. *Quia dies*: niſi eiſdem diebus magnũ feſtum occurrat. Magnum verò feſtum, Natalem Domini fore intelligendum, teſtatur Epiphanius in fine libri contra Hæreſes ex Apoſtolica traditione. Sed ſatiùs erit eiuſdẽ Epiphanij Sermonem adſcribere: *Tradiderunt Apoſtoli, vt in his diebus* (feria quarta & ſexta) *ieiunia fierent, ita, vt impleatur dictum hoc: Quum ablatus fuerit ab eis ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus; & non vt gratiam aut bene-*

ficium

ficium exhibeamus ei, qui pro nobis paſſus eſt, ieiunium nobis conſtitutũ eſt, ſed vt cõfiteamur ad noſtrã ſalutẽ Domini paſſionẽ, quam pro nobis ipſè ſuſcepit: Et vt pro peccatis noſtris ieiunia nobis apud Deũ ſupputentur. Et per totũ quidem annũ ieiunium hoc ſeruatur, in eadẽ ſancta Catholica Eccleſia, Quarta, inquã, & Proſabbato, vſq; ad horã nonã. Et infrà: *In quinquaginta diebus Pentecoſtes, de quibus dixi, nõ eſt ieiuniũ, nec in die Apparitionis & Aduẽtus, quando natus eſt in carne Dominus, ieiunare licet, etiamſi cõtingat, vt ſit Quarta aut Proſabbatũ. Verùm ex bono propoſito pietatis exercitatores, ſemper ieiunãt excepta Dominica & Pentecoſte.* Hæc Epiphanius. Vbi nomine Pentecoſtes appellat totũ tẽpus à die Paſchę, vſq; ad feſtum Spiritus ſancti. Et de his quidẽ hactenus: nũc verò, quinã ſint à ieiunijs excuſandi? videamus.

Ieiunia pro peccatis noſtris apud Deum ſupputantur.

CAPVT XIII.

Qui non tenentur ieiunare?

A ieiunio excuſãtur imbecilles

APoſtolorũ Canon 68. à ieiunijs excipit eos, qui imbecillitate impe-

impediuntur: In Conſtitutionibus verò Apoſtolicis habetur; *Ieiunent, qui quidem poßunt.* Hinc eſt, quòd ſanctus Spiridion in hiſtoria Eccleſiaſtica, hoſpiti ſuo in Quadrageſima ſuillam appoſuiſſe legitur; quia videlicet aliud non habebat, quod ei apponeret. Pulchrè sãctus Leo, Sermone 3. de ieiunio ſeptimi menſis: *Nihil à quoquã arduum, nihil aſperũ quæritur, nec aliquid nobis, quod vires noſtras excedat indicitur; ſiue in abſtinentiæ caſtigatione, ſiue in eleemoſynæ largitione. Sciunt ſinguli, quid poßint, quídue nõ poſſint. Ipſi modulum ſuum pendant, ipſi iuſta & rationabili taxatione ſe cenſeant: vt ſacrificium miſericordiæ, non cum triſtitia offeratur, nec inter damna numeretur.* Inter imbecilles dubiũ non eſt, & paruulos & ſenes eſſe referendos. Vnde Cõcilium Toletanũ quartũ, Can. 7. ita ſtatuit: *Quicunq; ieiunium præter paruulos, ſenes & languidos ante peractas indulgẽtiæ preces ſoluerit à Paſchali gaudio depellatur.* Et Toletanum octauũ, ca. 9. *Noua intentionis admonitu detecta eſt*

Lib. 5. Ca. 19 Eccleſiaſticæ hiſtoriæ.

Paruuli & ſenes.

inglu-

ingluuies horrenda voracium, quæ dum fræno parſimoniæ non adſtringitur, religioni contraire monſtratur. Dicente enim ſcriptura: Qui ſpernit minima paulatim decidit: illi tanta edacitatis improbitate graſſantur, vt cæleſtia, & penè ſumma contemnere videantur. Etenim cùm Quadrageſimæ dies anni totius decimæ deputentur, quæ & in oblatione ieiunij Domino conſecrantur, quibus etiam ſaluberrimè conditio humani generis expiatur, dum à quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur, & ex quatuor elementis formatus, propter tranſgreſsionem decalogi quaterdecies conuenienter affligitur: illis, qui auſu temerario hæc omnia contemnunt, nec voracitatis ingluuiem frenant, & (quod peius eſt) Paſchalia feſta illicitorum eſuum perceptione prophanant. Ex hoc adeò acerrimè interdicitur; vt quiſquis ſine ineuitabili neceſſitate atq; fragilitate & euidenti languore, ſeu etiam impoſſibilitate ętatis, diebus Quadrageſimę eſum carnium præſumpſerit attentare, nõ ſolùm reus erit reſurrectio-

nis Dominicæ, verumetiam alienus ab eiuſdem diei ſancta communione, & hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipſius anni tempore, ab omni eſu carnium abſtineat gulam, quia ſacris diebus, abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam. Illi verò quos aut ętas incuruat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, non antè prohibita violare præſumāt, quàm à Sacerdote permiſſum percipiant. Et Hieronymus ad Lætam, de inſtitutione filiæ: *Ante annos robuſtæ ætatis, periculoſa eſt teneris & grauis abſtinentia.* Robuſta ætas quænam ſit, quod ad militiæ laborem ſpectat, Num.1. explicatur, à 20. videlicet anno, vſque ad 50 ſecundùm Iozephum. A quibus menſuris non admodùm diſcrepat Eccleſiæ praxis, quæ ad ieiuniorum militiam & iuniores his. & ſeniores nō adſtringit, nempè ſexagenarios, vt habet author Sermonis 28. ad fratres in eremo.

Neceſſitas excuſat iudicio Sacerdotis.

Deniq; cùm multiplex ſit imbecillitas multiplicem etiam ieiunij excuſa-

cuſationem eſſe,certũ eſt:Sed quanta imbecillitas ad omittendum ieiunium ſufficiat,ſi quis de ſe dubitat, vtriuſq; Medici conſilio & authoritate decernat,quid ſibi in hoc genere faciendum ſit: Eius,inquam, Medici,qui corporis, & eius,qui animi, curam gerit, modò vterq; Catholicus ſit.Sic fiet,vt nihil temerè cõtra præcepta Dei,& Eccleſiæ committere videatur. Sic nos inſtruit Concilium Toletanum octauum, Canone 9.præcitato.

CAPVT XIIII.

Quòd facilè ſit noſtro tempore ieiunare.

NOn eſt, vt conſtat ex prædictis, quòd aliquis ieiunij difficultate deterreatur.Siquidem tanta moderatio eſt adhibita per Eccleſiæ praxin antiquorum Canonum perfectioni,vt,qui hodiè ſciens præceptũ abſque neceſſitate ieiunium negligit,non leue profectò crimen incurrat. Ecce enim,veteres Canones,nõ ſolùm

ſolùm vinum,ſed etiam ſiceram interdixêre,& omne, quod inebriare poteſt,& mulſam ac ceruiſiam: olera tantùm concedebant in eſum, ſecluſis etiam ipſis piſcibus; vt ex Conſtitutionibus Apoſtolicis ſuperiùs demonſtratum eſt. Poſteà parui piſciculi conceſſi ſunt in cibũ, ac mediocris ceruiſia in potum,prçſertim in Latina Eccleſia. Vnde,iuxta decreta S. Melchiadis, edita tempore martyrum,Concilium Triburienſe Homicidæ inter alia poſt tres annos pœnitentiæ hanc etiã abſtinentiam indixit. Sic enim legitur apud Burchardum,lib.6.Decretorum,cap.4. *Quatuor anni deinde reſtant,per quos ſingulos ieiunet tres Quadrageſimas, vnam ante Paſcha cum cæteris Chriſtianis abſtinendo de vino,medone,mellita ceruiſia, carne & ſagimine,& ouis,et pinguibus piſcibus.* Ex quibus intelligimus, quinã ſint potus interdicti, de quibus mentio fit in Decretalibus,cap.2. de homicidio his verbis: *Quadraginta dies non intres Eccleſiam,& lanea veſte indu-* Potus interdicti.

tus ab eſcis & potibus, qui interdicti ſunt, & à thoro, gladio, & equitatu illos ſupradictos dies abſtineas: in tertia autem, & quinta feria, & Sabbato, aliquo genere leguminum, vel oleribus, pomis, et paruis piſciculis cum mediocri ceruiſia vtere temperatè.

Cibi aridiores. Canone 50. Intelligimus præterea quinã ſint cibi aridiores, quibus in Quadrageſima vtẽdum eſt, iuxta Laodicænum Concilium; quod clariùs etiam explicatur apud Burchardum, lib. Decretorum 19. cap. 10. ex pœnitentiali Romano in hunc modum: *Pœnitentia illius anni talis eſſe debet, vt duos dies, id eſt ſecundam & quartam feriam, in vnaquaq; hebdomada ieiunet ad veſperam, & tunc reficiatur de ſicco cibo, id eſt pane & leguminibus ſiccis, ſed coctis, aut pomis aut oleribus crudis, &c.* Hodiè & vino & piſcib⁹ vti licet, nec ampliùs vt olim, ſemel tantùm veſperi reficimur, ſed cœnæ in prandia ſunt cõmutatæ, ꝙ olim feciſſe monachos in Pẽtecoſte, teſtis eſt Hieronymus ad Euſtochium, de Virginitate ſcri-

bens,

bens. Quid? quod à quibuſdam terræ fructibus abſtinebant olim Catholici in Quadrageſima, vt docuit Auguſtinus contra Fauſtum, nempe ab aromatis, aut ijs quæ Venerem excitant, iuxta præceptū Apoſtolorum, ſola olera admittentium: in quo etiam Eccleſia Catholica, poteſtatem habens Apoſtolicam, vt & in alijs multis benignè nobiſcū diſpenſauit. Lib. 30. 5. Conſtit. Apoſtolicarū, c. 19.

Præterea nocturnæ vigiliæ, iam ferè ſunt abrogatæ, vt ſuprà oſtēdimus, ad tollendas occaſiones peccatorum, quæ iam in veteri teſtamēto contigerāt; vt Heli filis peccātibus cum mulieribus, quæ obſeruabāt ad oſtium tabernaculi. Solitas enim olim fuiſſe mulieres excubare ad oſtium tabernaculi, ex 38. Exo. ca. diſcere poſſumus: vbi labrū æneum factū fuiſſe prædicatur, de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi, vbi Septuaginta habēt ἐνήστευσαν, quod Latinè & vigilare & ieiunare redditur. Similia his refert Au- Abuſus vigiliarum ſublatus. 1. Reg. 2.

thor Sermonis 25.ad fratres in eremo,in perſona S.Auguſtini: *Vigilabant*,inquit.*per noctem & ad Eccleſiam ludendo & choriſando conueniebant, quod deteſtabile erat,& malum. Tales non ſolũ Romani erant,non ſolùm Papienſes & Rauennates,ſed etiam Mediolanen. De qua turpi conſuetudine,dolebat Mediolani mater illa,quæ me carne & ſpiritu in Chriſto regenerauit:& inſtitutum eſt,ipſa inſtigãte,à Patre noſtro S. Ambroſio,vt Vigiliæ caſſarentur,vel ceſſarent à cunctis,vt homicidia & fornicationes à fidelibus deponerentur,ſolum tamen ieiunium mentis & corporis cum eleemoſyna Mediolanenſis Eccleſia fidelibus reliquit.* Hactenus ille Author.

Refrixit etiam iampridem ille ſpiritûs feruor,quem deſcribit idẽ ſcriptor ad eoſdẽ fratres,Sermone 28. dicens: *Ideò fratres hortor vos & moneo,atq; fieri præcipio, vt tantum carnem dometis, quantum natura portare poteſt. Nam cùm videam inter vos, quoſdã ſexagenarios,quoſdã ſeptuagenarios, quoſdam centenarios,vidẽs eos Dei amore fer*

uentes, corpora eorum crucifigentes, vinum etiam non bibentes: timeo ne potiùs Deum offendant, quàm placent. Talibus in Chriſti nomine præcipio, vt ſaltem diebus Dominicis, & ſolennibus vinũ vel ceruiſiam bibant. Hæc ille. Quibus obiter indicauit, quinam ſint ſenes, qui ad ieiunia Eccleſiaſtica non tenentur.

Poſtremò, quia Canones ieiunantibus cibum prohibent: potum non prohibent, ſubingreſſę ſunt, conniuentibus Hierarchis, noſtræ nocturnæ refectiunculæ, veteribus prorſus ignotæ, eo videlicet prætextu, ne potus noceat: quas tamen manifeſtum eſt feriò ieiunantibus, adeò exiguas concedi oportere, vt parum pro nihilo reputetur; ne alioquin contra ieiunij definitionem, bis eodem die refici videamur. Qualiacunq; tamen hodiè ſint noſtra ieieiunia, ſi Eccleſiæ ſanctæ ritum ſeruemus, adhuc locũ habet, quod Auguſtinus ſcripſit, Sermone primò feriæ quartæ, poſt primam Dominicã Quadrageſimæ: *Per hos quadraginta dies*

Nocturnã refectiunculã, quã collationẽ vulgus vocat.

Diſcrimen Hæretici & Catholici in ratione ieiuniorum.

dies ſeparantur mali à bonis, hoc eſt, luxuriosus à caſto, à ieiuno intemperans, à Chriſtiano gentilis. Separatur inquam malus à bono, hoc eſt, peccator à iuſto, Diabolus à ſancto, Hæreticus à fideli. Hæc Auguſtinus. Quibus præclarè noſtri tēporis experimenta ob oculos poſuit. Illud vel nobis tacētibus prudēs Lector intelliget; nos in hoc opuſculo, præcepta vniuerſalis Eccleſiæ de ieiunio, & ciborum delectu, potiſſimùm explicaſſe: nihil interim derogantes, pijs & arctioribus quarundā Eccleſiarum conſuetudinibus: Sed neque Prouincijs laxiori diſciplinā vtentibus: modò illa Cathedræ Apoſtolicæ authoritate comprobetur.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

LAVS DEO OPTIMO MAXIMO.

A T.

ſ, lxx.

cas, à

am ma-

Diabo-

c Au.

ſtri tẽ.

poſu.

rudẽs

puſcu

ſiæ de

oriſſi.

dero

rundã

as: Sed

ciplinà

he.